

EX · LIBRIS
FRANC · COM · A · THVN · HOHENSTEIN
TETSCHEN

NATURA

Morborum Medicatrix

Sen

Medicina Universalis,

Quam

Coram Antiquissimâ ac Ce-
leberrimâ Universitate Viennensi
Anno 1718. die 6. Septembris in
Basilicâ S. Stephani, sub doctorali gradûs
Medici solemnitate problematicè propugnavit;
nunc verò ampliori stylô, magisque illustra-
tam plurimorum desiderio in publicam
emittit lucem

JOANN. ANTON. FRANCISC.
DEIMBL;

Philosophie & Medicinæ Doctor,
Facultatis Medicæ Viennensis

N. XI Collegiatus.

VIENNÆ

Ex Typographia Cæsarea Imperiali Aulica.

TA-369859

Per illustribus Prænobilibus
Strenuis, Clarissimis

Ac

Consultissimis Dominis, Dominis

DOMINO
JOSEPHO
HARTMANN.

U. J. D.

Et

Consuli Vigilantissimo,

Cæterisque inclytæ Cæsareæ
Residentiæ Civitatis Viennensis
Senatoribus,

Dominis Mecænatibus, Patronis, Fau-
toribus gratiis, omnique Vene-
ratione observandissimis.



DS-2021-6108



Perillustres Prænobiles, Strenui
Clarissimi, & Consultissimi
DOMINI, DOMINI.

Cur meam hanc de
Medicina Uni-
versali opellam
vestris insigni-
tam nominibus in lucem emit-
tam, ipsi omnium optimè no-
stis, quibus princeps cura sem-
A 2 per

per fuit, quæ ad civium, cùm
salutem, incolumémque sta-
tum, tùm sanitatem pulcherri-
mam humanæ felicitatis por-
tionem pertinent, enixè curare.
Id ipsum autem, vobis probè
perspicientibus, atque opere
comprobantibus, meum est hoc
loco commemorare. Utar voce
communi totius civitatis, &
missis quàm plurimis vigilan-
tiæ vestræ documentis, quæ in
dirimendis litibus, in compla-
nandis controversiis, in au-
gendas civium facultatibus, in
protegendas Orphanorum, &
Viduarum juribus, in castigan-
dis

dis ad Sacræ Themidis, bilan-
cem factiosorum hominum te-
merariis ausis, in ampliandâ
nobilissimæ hujus Urbis gloriâ,
in promovendo ad aliarum per
orbem civitatum invidiam,
per regiam tot sumptuosè ex-
structorum ædificiorum maje-
statem civitatis hujus splen-
dore indies elucescunt, missis
inquam his, plurimisque aliis,
quæ experitur Vienna, prædi-
cat Austria, obstupecit orbis,
oratorumque nullus quantum-
vis eloquentissimus condignis
laudum encomiis celebrare
potest, vigilantiæ vestræ do-

cumentis ad ea tempora respi-
ciam, quēis à contagiosa lue
acerrimam stragem reformi-
dantibus præsentissimam me-
delam attulistiſtis. Evidem
non adeò præteritarum cala-
mitatum recordationem aver-
samur, quin animo ſepiuſ re-
volvamus, quām lacrymabili
funere involuta fuifſet Vien-
nensis Civitas, niſi Providen-
tia veſtra malo impendiſti
fortiter, conſtantérque occur-
riſſet, eidem aditum omnem,
quoad fieri potuit, interclusiſ-
ſet, adrepentem quaſi per inſi-
diās perniciem illico oppreſſiſ-
ſet.

set. Atque hinc factum est,
ut ad exteris nationes extin-
ctæ prius, quam grassantis con-
tagionis fama pertigerit; quin
imò non pauci, vel ipsorum
civium solicitudine vestrâ ab
omni periculo immunes inani-
se rumore duntaxat ludi suspi-
carentur.

Præclara hæc quidem sunt
Vigilantiae vestræ documenta,
quibus, quo loco apud vos sit
civium omnium salus, ejusque
tutandæ præsidia abundè osten-
distis: haud tamen exinde tan-
tum fiduciaæ animo indulsissem,

ut meum hunc qualem qualem
conatum publicæ incolumitati
addictum, vestris auspiciis in
lucem prodire exoptarem, nisi
compertum habuisset præterea,
quæ vestra foret super eorum
studiis persuasio, qui Medicæ
theoriæ, quò hæc mea quoque
opella respicit, excolendæ in-
cumbunt. Quamvis enim ea
sit Medicorum apud vulgus
conditio, ut non secus, ac Po-
litici ab eventu potius, quam
Scientiâ existimationem nanci-
scantur; Sapientioribus tamen
nunquam non probari consue-
vit eorum industria, qui pre-
ter

ter lucri spem omnem in am-
plissimæ hujus scientiæ princi-
piis eruendis, atque demon-
strandis operam collocarunt;
nōrunt quippe hi Medicum ab
Agyrta solâ ratione scienti-
ficâ discerni cum & hujus ex-
temerariâ medicamentorum
applicatione eventus fortuitus
immeritam persæpè vulgo
æstimationem inducat. Haud
ego quidem existimo novum
aliquid atque reconditum à me
in publicum prolatum iri, quod
um eorum elucubrationibus
componi possit, qui majoribus
ortassis, quam ego præsidii

A 5

in

instruēti politiori Medicæ sci-
entia nitori, induendo stu-
dent; putabam tamen colle-
ctis atque in unum digestis,
quæ sparsim à non paucis su-
per Panaceæ, seu Universa-
lis cuiusdam Medicinæ in-
ventione disputata fuere, ope-
ram haud inanem me collo-
caturum iis, qui hujusmodi
Pharmaco in plurimorum
commodum parando curam
adjecerint. Quod si hoc eti-
am minimè asscutus fuero,
id mihi solatio erit, aliquod
saltem mei erga vos obsequii
inceptum esse Argumentum.


Gra-

*Gratiosa igitur benevolentia
ut hunc meum conatum ad-
mittatis, enixè rogo*

**Ampliss. Honoribus
Vestrīs**

Devotissimus.

JOANN. ANTON. FRANC. DEIMBL,
Philosophiae & Medicinæ
Doctor, Facultatis Medicæ
Viennensis Collegiatus.



PRÆFATIO

Ad Lectorem.

Ullus litteratorum,
benevole Lector, su-
perioribus sæculis,
ambitiosius, quam
hodiè conatus est, præ reliquis
eruditus videri. Et ut solus sub
sole degat, qui è Jovis cerebro,
velut altera Pallas prodivisse cre-
datur, non erubescit calumnias,
scommata, aliásque pejores ar-
tes tūm in doctrinæ suæ osten-
tationem, cùm in alterius scien-
tiæ depressionem, vilipensio-
nem, ac propè conculationem
evocare. Hinc non nemini for-
san

san melius mihi consuluisse vi-
derer, si manum de tabulâ re-
movissem, & levidense hoc &
exiguum opusculum eruditî,
censoriæque virgulæ licentiâ sin-
gula ponderantis mundi subtra-
xissem potius, quam subjecis-
sem oculis.

At licet fortasse me quis ma-
levolis proscindat sermonibus,
calumniantis linguae pungat acu-
leis, & theonino dente laceret
crudelissime; attamen, cum
amicorum syncerorum præser-
tim promotioni meæ Doctorali
(dum in illo honoris actu pro-
blema pro Medicina Universali
deduxi oratoricè) gratiosè præ-
sentium desideria, ut id vel le-
gendum exhibeam, vel fusiū
disquiram, mihi scribendi non
tam voluntatem, quam necessi-
tatem

tatem imposuerint, minimè ab
eorum votis alienum & inhu-
manum me potui exhibere.
Non tamen, velim, putet quis-
piam, me in hac scribendi oc-
casione gloriam, quæ virorum
duntaxat in Scientiâ Medicâ
consummatorum corona est,
aucupari; sed curiosioribus sci-
entiarum cultoribus, præcipue
in Chymiâ verâ versatis, non
firmissimo quodam asserto, pro-
babili duntaxat opinione, quam
nullus, ut scio, hactenus fusiori
calamo, meliorique ordine,
pertractavit, velle satisfacere.

Nihil laudis, nihil gloriæ pro-
pterea detractum velim viris in
Scientiâ Medicâ experientissimis
qui Hippocratem & Galenum
secuti, suâ in Sphœra de morta-
lium vitâ optimè meriti, fatale
Par-

Parcarum imperium exarmârunt
sœpiùs, sœpiùs cum luculentis
ægrorum solatiis ad multos an-
nos proscripterunt. Néque me-
dicamentis, ut ajunt, specificis
(quibus, cùm Universali, nescio,
quo Divinæ providentiæ decreto
careamus, contentos nos vivere
oportet) profligari morbos
posse ac prosperam valetudinem
restitui, hactenùs in controver-
siam adduxi. Verùm an id spe-
cificâ & seminali, an Universali
rebus omnibus inditâ virtute
conficiatur, inquire, scutarí-
que multi non intenderunt.
Quis enim ignorat, specificam
seu seminalem virtutem (cui
tot medicamentorum diversas
operationes & effectus meritò
adscribi necesse est) variis fer-
mentis ac menstruis, tām natu-
rali-

ralibus, quam artificialibus planè
infringi ac destrui? quem latet
in varia illa & multiplici medi-
camentorum mistione, dum ni-
miam hujus activitatem, per-
turbatam istius spirituum exor-
bitantiam, superabundantem il-
lius volatilitatem, excessivam
hujus aciditatem, mordaciorem
illius acrimoniam, aliorum con-
trariis, ut ajunt, qualitatibus
præditorum medicamentum mix-
tione minuere, compescere, fi-
xare, dulcificare & corrigere in-
tendimus, non raro non minui,
sed planè nullari; non com-
pesci, sed totaliter extingui; non
fixari, sed omnino destrui; non
dulcificari, non corrigi, sed pe-
nitùs aboleri, ita, ut ad partes
infirmas, non nisi sequestratus &
resolutus ipsis medicamentis in-
ditus


ditus Universi Spiritus perveniat easdem persanaturus. Qui si majori copiâ ex iisdem anteà extractus, ac separatus morbum invasisisset, depulsurus haud dubiè citius ægritudinis molestias erat.

Hæc obiter & quasi per transennam dixisse sufficiat, donec major hujus dicti in sequentibus pateat explanatio. Itaque dum propositi mei gratiâ id assumo, quod video Hermetis, Hermeticorumque rationibus consentire, suum systematis aliis pretium non adimo, utilitatem & gloriam relinquo. Interim dum hæc legis Lector Benevole, id unum à te flagito, noli meam hanc de Universali Medicina opinionem sus deque habere, aut præmaturum ac sinistrum.

de eâ judicium ferre, priusquam
non repetitis vicibus, & sedula
cum attentione pervolveris. Et
si quidpiam minus benè scrip-
tum, aut tuis fortè non cohæ-
rens principiis repereris, publi-
cōque id impugnare typo allu-
buerit, modestiore, ac solent
plurimi, stylo id ipsum præsta.
Siquidem qui ego te nunc opu-
sculi mei benevolum lectorem
opto, me quoque tum tui be-
nevolum lectorum futurum
spondeo. Vale.



PROE.



PROOEMIUM.

Numera ferè sapientissimorum, Hermetis Philosophorum Patris, ejusque Aseclarum & Adeptorum existant volumina, quæ amplam de Medicina Universali, ast nocturnā caligine obsitam, paucissimōque stellarum lumine illustratam nobis ostendunt provinciam. Ipse supracitatus Hermes in tabulâ Smaragdina, quam in valle Ebron fœmina nomine Zara reperit, de illâ sic loquitur: Hæc est totius fortitudinis fortitudo fortis, quia vincet omnem rem subtilem, omniaque solida penetrabit; Geber Indorum

Rex apud Libavium profitetur, se
unam medicinam longâ inquisi-
tione, labore maximo, experientiâ
certâ invenisse, quâ durum molle-
scit, molle induratur, fugitivum
figitur, fœdum illustratur splendore
mirabili. Calid quoque Arabiae
Regem Cap. 14. de lapide Philosó-
phorum scribentem lege : Hic est
vita mortuorum, & eorum resur-
rectio, Medicina conservans cor-
pus & purgans superfluitatem.
Arnoldus de villa nova in rosario
Cap. 31. de eodem lapide itâ scri-
bit : habet virtutem & vim supra
omnes alias medicinas omnem fa-
nandi infirmitatem. Piget plures
(infiniti enim laboris esset omnes
adducere) in exaratis â se volumi-
nibus hac de materia mentis suæ
sensa aperientes in medium afferre.
Omitto proin Raymundum Lullium,
Joan-

le
i-
à
e-
n
c
e-
a.
f.
st
-
r.

Joannem Aurelium Augurellum,
Joannem de rupescissa, Eduardum
Vogelium, Basilium Valentiniūm,
Theophrastum paracelsūm plurimōs-
que alios, qui omnes in præclarissi-
mis suis, quæ posteritati reliquerunt,
scriptis Medicinam Universalem
dari, aut saltem possibilem esse, non
obscuris testimoniis tradiderunt,
eāmque dignissimis encomiis prædi-
caverunt.

Quæ certè testimonia dum à sa-
pientissimis viris, sagacissimisque
Naturæ indagatoribus, non inaniter,
incassum, aut ad fallendos hominum
animos esse proleta mihi persuadeo,
magnum addere stimulum deberent
singulis medicinae ac veræ chymiae
cultoribus hanc eandem scrutandi.
Et pro viribus in ejusdem confectione
nem meditandi.

Ego quantum tām ex diversorum authorum mente, quām ex habito cum in hac arte proficientibus discursu laboriosē collegi, & in problemate qualquali Minervā jam adumbrāvi, id nunc hoc in meo proposito, paulò lucidiūs, & in ordine mihi præfixo, sole Horizontem nostrum attingente perlustrabo, donec fortasse (optare & audere licet) sole in meridie existente Magnificum hoc Regis Palatum in Philosophorum metropoli lucidissimè, ac clarissimè tibi ostendere, ultrò mihi concedatur.

Hic tamen cum Daniele sennerto Lib. de consensu & dissensu Chymicorum cap. 18. de Medicina Universali in antecessum notandum venit illud, quod secundūm saniores Medicos, qui eam defendunt, non omnes omnino morbos partium organi-

ganicarum in excessu vel defectu, in conformatione, in numero, situ &c. curare valeat. Et paulò infra de iisdem sanioribus Medicis afferit, quod eos morbos Universali Medicinâ curari posse statuant, qui ab internis humorum vitiis oriuntur, seu ut ipsi loquuntur, qui ab internâ radice pullulant atque ortum habent. Atque ita Medicina Universalis ipsis nihil aliud est, quam medicamentum polychrestum: Sicut panaceæ nomen jam ab antiquis, medicamentis quibusdam non quidem ad omnes, sed ad plures morbos utilibus inditum fuit. Hucusque ille de sanioribus Medicis, quorum sententia, & ego in omnibus subscribo. Nam certè Medicina Universalis prælongum digitum non minuet, os luxatum vel fractum suo in loco non reponet, aut gibbum

in debitam figuram collocabit, **E**sic de plurimis partium organica-
rum morbis, quia ejusmodi morbi
manualem plerumque operationem
requirunt, **E**nullo etiam specifico
medicamento si solum sine manuali
operatione adhibetur, queunt de-
pelli. Atque haec vera sunt, si lu-
xationem, fracturam aut similes
morbos simpliciter accipiamus ut
tales; nam quatenus per peccan-
tium humorum ad similia affecta
loca affluxum, dolores augeri, ma-
lum ingravescere aut pejus reddi
potest, eatenus certe medelam à Me-
dicina Universali afferri posse, nemo
in dubium revocare ausit. Nam
licet hanc in partium solidarum **E**organicarum affectionibus diffici-
lius suam virtutem exerere conce-
datur, in partium tamen fluidarum
morbis facilius suam ostendet poten-
tiam,

tiam, cum hæ præ cæteris sint partes
transeuntes, atque adeò citius Me-
dicina nostra illas partes, puta, quos,
cùnque humores, aut quidquid pe-
regrini illis admixtum ē corpore
ejusque solidis & organicis partibus
profligabit. Facilius enim. (loquor
ab instantia) debiles, & ē loco fa-
cile mobiles, si fortitudine præcellis,
debellabis, & campo cedere compel-
les, quam si cum firmo, robustoque
homine fortiter, constantérque te-
cum in palastra manus conserente
sit decertandum.

His antecedenter prælibatis, con-
venienter vulgari, & trito illi axio-
mati, qui benè dividit, benè docet,
in præsenti definitio & divisio Me-
dicinæ nostræ priùs disquirenda ve-
nit. Hæc itaque est subtilissima
quædam materia, universaliter in
toto corpore distributa, corpori, ejus-

que partibus sanitatem conservans,
Et removendō de se omnem cau-
sam materialem, eam restituens.
Et si dicere licet, est temperata so-
lis, astrorumque virtus vivifica,
vere Et aestate copiosius in subjectas
terrarum partes influens; hyeme-
verò Et autumno in variis, diver-
sisque plantarum, mineralium, Et
animalium generibus, tanquam in
provido promptuario ad continuam
dā hominis vitam aſſervata, ut,
post debitas in machinā nostrā or-
ganicā fermentationes, alterationēs-
que factas, sui juris facta, deficien-
tem quocunque modo in nobis ſpiri-
tum ſeu Naturam morborum Me-
dicatricem analogiā, Et identitate
ſuā restituat.

Habitā Medicinæ Universalis
definitione, nunc in quas partes di-
ſpescatur, est inquirendum, ubi ta-
men

men in anteceſſum notari velim,
has partes non esse veras partes ali-
cujus totius physici, aut potestativi,
aut integralis, ita ut Medicina Uni-
versalis velut aliquod totum physi-
cum aut potestativum, aut integrale
in partes suas dispescatur; sed esse
varias ejusdem pro diverso ſuo ſatu
considerationes. Nam quatenus
corporibus physicis adhuc immersa,
in uno quidem abundantius, in al-
tero vero parcius heterogeneis im-
mixta particulis, in rerum natura
datur, eatenus Naturalem vocare
placuit. Quatenus vero heteroge-
neis ſoluta particulis, ſolerti artifi-
cis manu e corporibus extracta, in
unum corpus homogeneous, effi-
cacious, tanquam corpus pharmaceu-
ticum coagmentatur, eatenus Artifi-
ciale nominare, non incongruum
duxi. Atque hinc duplex divisio
dupli-

duplicem scribendi ansam mihi præ-
buit, unam quidem, ut argumentis
evincam, talem in rerum natura-
dari; alteram, ut, experientiâ li-
cet deficiente, probabilibus tamen,
innixus rationibus demonstrem,
talem per artem extrahi posse
purissimam.



PARS

PARS PRIOR.

An detur in rerum Naturâ Universalis quædam Medicina.



Uæ homines nos artifex
fecit supremi Numinis
manus, eadem & morta-
les finxit, voluitque animam, quam
velut de substantiâ divinitatis de-
cerptam particulam cum æternitate
suâ mensus est, in fragili corporis
hujus domicilio inquiline collo-
care. Attamen & corpusculum
hoc ævum foret, nisi infinitis quo-
dammodo morborum generibus
identidem arietatum, profligatis
tandem viribus succumberet. At
unde sanitas? unde morbus? quid
in morbo sanandum? hic inqui-
rere scrutarique priùs oportet,
quam adversùs tantam morborum
humanum corpus infestantium ilia-
dem, medicinam dari, & præparari
posse discutiam.

CA-

CAPUT I.

De
Sanitate.

SECTIO PRIMA.

*Probat dari spiritum in corpore
humano.*

Antequam ad ulteriora progre-
diar, visum est, paucis ostendere, quid sit spiritus, & eum in-
corporibus nostris dari. Spiritus
sumitur tripliciter 1. pro eo, quod
planè immutabile est, ut Deus. 2.
pro eo, quod materiæ expers est,
ut Angelus & anima rationalis. 3.
pro corpore tenui & subtilissimo.
Priores duas acceptiones intactas
relinquimus, quia de spirituum sic
acceptorum existentia nemini, nisi
atheo & homini rationem exuto
du-

dubium aliquod occurrere debet,,
ut pote quorum existentiam fides
christiana pridem nos docuit.

Solummodo igitur de spiritu in
tertia acceptione nobis hic sermo
erit, qui recte definitur, quod sit
Corpus vivum, subtilissimum, te-
nuissimum, calidum & mobile, à
subtilissima & maximè sincera san-
guinis & aëris parte genitum. Sunt
igitur **Spiritus Corpora**, tum quia
in vasorum obstructionibus iis de-
negatur transitus & influxus, tum
quia aliis multis obnoxii sunt vi-
cissitudinibus. Sunt corpora viva,
quia vitam corpori tribuere de-
bent; vita enim in motu consistit,
positis autem spiritibus ponitur
motus, denegatis denegatur mo-
tus. Sunt corpora **subtilissima** &
tenuissima. Ratione enim subtili-
tatis & tenuitatis suam habent pe-
netra-

netrabilitatem, pernicitatem, acti-
vitatem facile per poros exspirant,
dissipantur, consummuntur, suffo-
cantur. Ratione subtilitatis & te-
nuitatis nomen etiam, & dignita-
tem spirituum obtinuerunt. Sunt
corpora calida, tum quia ex medi-
camentis itidem spirituosis igneis,
inflammabilibus restituuntur, refo-
cillantur, tum quia corpus nostrum
calet magis & minus spirituum be-
neficio atque hinc Hippocrates spi-
ritus vocat connatum ignem. Sunt
corpora mobilia, motus enim spiri-
tuum sine intermissione continuus
facit, tum ut continuo generentur,
aut ab alimentis seperentur, tum
ut continuetur lumen, radiatio, &
vita sine intermissione, tum etiam
ut continuo ventilentur, ac in se-
renitate conserventur, & ut ob con-
tinuum effluxum & jacturam con-

C

tinuus

tinuus conservetur influxus. Generantur autem spiritus ex subtilissima sanguinis parte, & consequens ex subtilissimâ alimentorum parte, quæ nihil aliud est, quam alimentorum spiritus.

Viso jam quid sit spiritus, videntum nunc restat, an tale corpus vivum, subtilissimum &c. in corpore nostro detur, & quamvis id ex aliatâ definitione aliunde jam pateat, visum tamen id ipsum aliis argumentis stabilire.

Atque ut nihil jam dicam, quod ligato vel abscisso nervo alicujus partis, sic ut spiritus non possit ad illam venire, illico ejus motus & sensus pereat. Quid est illud subtile quod in morbis, languoribus, mœroribus, ægritudinibus, laboribus, vigiliis, curis, senectute insensibiliter amittitur, nisi Spiritus.

Quid

Ge-
ti-
se-
um
m-
en-
vi-
ore
al-
eat,
gu-
od
us'
ad
&
ub-
us,
bo-
in-
us.
nid

Quid illæ bullæ, & illud spumosum,
quod in fermentatione, & putrefa-
ctione animalium, vegetabilium,
mineralium ebullit, strepit, intu-
mescit, commovet, exspirat, sen-
sus ferit, aliud confirmant, nisi spi-
ritus dari.

Quid vires sensibilibus evacua-
tionibus, venælectionibus, hæmor-
rhagiis, purgationibus, sudoribus,
immoderatâ venere &c. collapsæ,
& amissæ aliud testantur, quàm spi-
rituum jacturam, & per consequens,
Spiritus anteâ existisse demon-
strant, quia quod non est, illius ja-
ctura fieri nequit. Porrò Spiritus
dari, patet in animi deliquiis & pa-
ralysibus, cum illa intermissionem
circulationis, motûs, & radiationis
spirituum pro suâ causâ agnoscant;
hæ à denegatione influxus Spir-
itu

tuum, vel ab eorundem narcosi
Originem suam derivent.

Jam verò quid luculentius spirituum existentiam commonstrat, quàm corporum nostrorum calor,
& sanguinis circulatio. Spiritus enim, velut ignes astrales, caloris & calidi innati subiectum sunt. Circulationem verò sanguinis maximè à spiritibus promoveri patet in tristitia; teste enim Clarissimo Dn. D. Preyser in œconomia suâ animali part. 2. Cap. 12. §. 83. ubi ob spiritus crassitie, lentore, turbulantiáque inquinatos, sanguis pariter crassescit, hæret, stagnat, ac ad circulandum ineptus redditur.

Eadem quoque spirituum existentia demonstratur, ex terrore, teste eodem Clarissimo Authore loco citato §. 84. ubi nempe objecta externa per sensus externos inq-

inopinatè repræsentata, ità spiritibus & nervis sunt improportionata, ut spiritus in suo motu quodammodo impediti vix non recedere cogantur. Unde fit, quod homines terrefacti motibus, convulsivis non absimilibus infestentur, quod accidit, dum spiritus recurrentes spatia, ex quibus fluxere repetentes eadem aliunde spiritibus plena infarcient, & consequenter nervos abbrevient, quare spirituum recto influxu impedito fit, ut anima functiones suas naturaliter edere non possit, debita respiratio langueat, sanguinis motus circularis intercipiatur, homines pallescant, lypothimiā & quandoque mors etiam succedat.

Ad ulteriorem dictorum confirmationem, considera sanguinem præcipue arteriosum, in quo subtile

illud spumosum & tenue, postquam
post extravagationem in auras eva-
nescit, sanguinem putrefcere &
corrumphi videbis. Porro illud
Subtile, spumosum, & tenue quid
aliud est, nisi spiritus, a quo san-
guis vigorem suum & conservatio-
nem sortitur. Id ipsum videre li-
cet in vino per vomitum ejecto, in
quo nil praeter insipidam vappam
ejicitur, dum interim spiritus in
vino contentus volatilitate suâ
corporis partes pervadens, in iis-
dem retinetur. Spiritus enim vini,
qui quasi in limine hæret, facili ne-
gotio a vino est seperabilis. Hel-
montius pag. 724. reperio quod vi-
num parte sua vinosa aquam vitæ
contineat. Ideoque facile, citò, at-
que absque fellis digestis maturitati-
bus rapi per arterias stomachi ad
cor, sive advocari immediate in
sup-

supplementum & defectum spiritus
vitalis.

SECTIO SECUNDA.

*Probat spiritum nostrum vita-
lem ad omnes actiones concurrere,
atque demonstrat.*

Inditum igitur nobis à supremo
rerum Conditore spiritum ali-
quem, qui toto diffusus corpore
partes omnes sanas reddit, & ad
suum singulas officium expeditas,
neminem scientiâ medicâ vel phi-
losophicâ instructum mihi negatu-
rum puto. Si verò ulteriorem
præter ante jam datas, à me con-
firmationem amicè desideras, re-
lego te ad innumera Anatomico-
rum Clarissimorum volumina.
Quid enim est, quod infinitas penè
nervorum & membranarum pro-

pages ad viscerum glandulas, & totius corporis partes usque pertingentes, quas actionum vitalium officinas recte dixeris, continuâ agitatione permeat, suo servat in vigore, ad competentes animat functiones, nisi spiritus ille, qui, cum vivere DEI beneficio cœpimus, præter animam illam immortalem ad vitam sanam & incolumem propagandam nobis donatus est. Hic ille rector, & præses omnium actionum existit, hic ille agit, hic dominatur. Non aliter rem concipio, ac artificem eâdem manu motâ, per certa sibi usualia instrumenta diversas figuræ efficientem.

Attamen à te desidero, ne spiritum jam jam purissimum in superadictis officinib[us] hinc inde permeantem cum spiritu ex alimentis, chylo, sanguine pro prioris conservationne extra-

&
per-
um
nuâ
ia,
et,
qui,
pi-
or-
lu-
tus
m.
it,
l.
nu
ru-
m.
ri-
ra-
n-
o,
ne
a.
extrahendo confundas. Ille enim proximum est animæ rationalis instrumentum, & sensuum tam internorum, quām externorum principium, & motor omnium musculorum existit. Ille primariò omnes actiones vulgò naturales (quibus cum supradictis animalibus omnes mōrborum species adscribunt Medici) ac diversas in humano corpore perficit; adeò, ut pro continua sui conservatione novum ex alimentis, chylo, sanguine analogum in omni cibo & potu átque aëre latentem universi spiritum, separatis ab eo heterogeneis, tandem efficiat.

Quod jam in genere dixi, in specie, & in qualibet particulari actione, quæ individuum concernit, demonstrabo. Incipiamus à fame, & siti, quæ ad alimenta assumenda

nos determinant: nonne fames est
molesta sensatio (quam & tu con-
cedes) fibrillarum ventriculi mem-
branarūmque ejus, occasione cujus
rem solidam appetimus, ut vellicati-
onem ob ciborum absentiam ex
ventriculi fermento ortam, tolla-
mus. Talis sensatio quoque est si-
tis, & quidem in fibrillis oris &
faucium, cuius beneficio ob humi-
dum per solida abstersum, vel ca-
lore absumptum, & deficientem
humidi per glandulas salivales se-
cretionem ad rem liquidam assu-
mendam determinamur.

Sequitur has sensationes mole-
stas, sed providas, determinatio
animæ ad illa assumenda & certè
illa non aliter (ut tu ipse fateberis)
nisi per spiritum contingit.

Hic deinde spiritus in musculis
masticatoriis latens cibos duros &
majo-

maiores in minores partes dentibus
diffingit, hos ita diffractos & com-
minutos spiritus diglutientes mu-
sculos inhabitans ad animæ impe-
rium in fundum usque ventriculi
detrudit. Inibi ex naturali sanguini
calore per arterias illuc dela-
tus, alimenta sullivâ fatis imbuta,
acido ventriculi sic dicto alterius
dissolvit & fermentat. Hic motu
peristaltico seu vermiculari ventri-
culi & intestinorum in varie figu-
ratis & dispositis ventriculi & inte-
stinorum fibrillis ad duodenum,
imò ad anum usque detrudit.

In prædicto intestino duodeno
duo illa famosa menstrua motu fi-
brillorum tonico, & dum unda à
principio quodam seu spiritu im-
pulsa undam pellit, billem & suc-
cum pancreaticum (de quibus in-
fra) per ductum Choledochum &

Wir-

Wirsungianum sic dictum transmit-
tit, ut mediante calore supra dicto
naturali & efferbescentiâ solutum,
jamjam chylum à foecibus seperet,
cásque præcipitet.

Hic per minimos intestinorum
poros lacteis venis continuos mu-
sculis abdominis ad impressionem
& emulsionem inservientibus pu-
riorem sub formâ lactis chylum in
eadem lacteas separat. Interim
(dum foeces ad anum usque motu
partim muscularum abdominis, par-
tim peristaltico delatæ, tūm acri-
moniâ, tūm quantitate stimulantes,
sensum quendam nobis imprimunt,
& animam ad excretionem per spi-
ritum determinant) hic quoque
motu muscularum abdominis inte-
stina inferiora comprimentium fo-
rás eliminat.

Le.

Legisti supra de motu peristaltico, quem insitus vita spiritus regit & actuat. Hic est, qui receptum purissimum chylum intestina coarctando ulterius in venas lacteas detrudit. Ast cum hic motus chylum è minoribus ad majores venas lacteas, ad glandulas mesenterii sic dictas, Afellii magnam (in quibus ab adveniente lymphà fluidior redditur) ductum thoracicum promovere, & in venam subclaviam usque infundere sit impotens, vices ejus subit motus arteriarum his ductibus vicinarum, motus diaphragmatis, & vasa hæc comprimendo chylum hac ratione ultrò promovet, & sanguini tradit; ne verò, unde venerat, relabatur, valvulae ubique interpositæ hunc relapsum impediunt, præcaventes.

Non-

Nondum hic spiritus in chylo
sanguini jamjam immixto latecens
ad obeundas functiones est ido-
neus , nisi cum sanguine præexi-
stente aliquoties in circulum agite-
tur, conquassetur, per spiritum in-
situm à cerebro in corde sanguini
admixtum resolvatur, & varia per-
transiens viscera, inutile & hetero-
geneum diversum inibi secernen-
dum, excernendūmque relinquat.
Et hæ ipsæ actiones à nullo alio,
nisi à spiritu purissimo , fibrillas
subtilissimas inhabitante, reguntur
& gubernantur. Quo autem ne-
gotio ad cor ab his partibus defe-
ratur, dicemus in eo loco, ubi Uni-
versaliter de venis sermo nobis erit,
quâ ratione sanguis versùs cor re-
ducatur,

Inditum cordi, arteriisque mo-
tum quendam (quem theorici pul-
sifi-

sificum, seu in quo cor & arteriae
constringuntur ac dilatantur, no-
minare consueverunt) agnoscunt
illi præter variam fibrillarum ac
membranarum tonum configura-
tionem &c. à spiritu purissimo è
cerebro oriundo, & in antedictis
habitaculis præsente regi, atque
gubernari. Unde spiritus vitalis
hic præsens sanguinem ex corde
ad omnes arterias, earumque mi-
nimas propagines, tam in pulmoni-
bus, quam toto corpore, valvulis
ubique ne refluat adjuvantibus di-
stribuit, atque tam ad partes aug-
mentandas, nutriendas, & Spi-
ritum puriorem secernentes; quam
ad organa & viscera diversa, pro-
illorum glandularum poris varie
configuratis, variaque magnitudine
dotatis, varia excrements rām uti-
lia quam inutilia secernentia, atque
excernentia amandat.

San.

Sanguis hic à spiritualescentia,
nutritione, & separatione residuus,
ac in pulmonibus rarer, volatilior.
que factus, aliquali per spiritum vi-
talem arteriolarum capillarium,
pressione in comites venulas capil-
lares urgetur: ad cor verò tam ex
venâ pulmonali, axillari, & cavâ
chylum ferente, quam ex totius
corporis venulis minoribus, & cavâ
præter debitum fibrillarum tonum,
atque occasionem hanc, quâ etiam,
ut supra memoravimus, unda un-
dam pellit, à dilatante & hac me-
thodô comprimente átque angu-
stante comite ubique arteriâ, val-
vulis, ne redeat, adjuvantibus san-
guinem fluentem hic spiritus re-
fluere concedit.

Supereft adhuc ut (ne ullam
actionem ad individuum spectan-
tem omittam) de motu lymphæ
pau-

paucula dicamus. Hanc itaque lympham, cuius originem, insertio-
nem, usum &c.atomicis relin-
quimus, ab origine moveri ad in-
sertionem suam usque motu pro-
gressivo dubium non est, ast illa ex
se, ac variâ vasorum lymphatico-
rum structurâ, valvulisque quoque,
ne refluat, obstantibus, est impo-
tens, nisi spiritus vitalis prædictis
vasis debitum conciliaret tonum,
atque in vicinis hospitans arteriis
per earum diastolen proxima vasa
lymphatica premendo, ulterius
lympham hanc urgeret,

Concludimus jam, spiritum vita-
lem in universo distributum cor-
pore, omnes efficere actiones, &
quid quid liquidi & fluidi est, in
motum progressivum & circulato-
rium deducere; atque quidquid in
humano corpore à spiritu purissi-

D mo

mo alienum est, per certa corporis emunctoria, secernere, excernere, ejicere.

Doctè hanc in rem scribit Nuysement apud Tackium de resurrectione rerum fol. 11. Porro, inquit, cur actiones rerum non attribuerem spiritibus, sed vel dispositioni partium vel atomorum, sive partium insensibilium fortuito concursui, quemadmodùm sunt, qui præter mentem, soli homini debitam mensuram, quietem motum, posituram & figuram cum materiâ cunctarum exordia rerum ponunt. Sublatis formis substantialibus. Hi enim, etsi quidem satis argutè de hoc quaesito disputent, non tamen ostendunt, quo pacto cujusque rei particularum constitutio & disposilio fiat, unde motus & temperies rei oriatur. Videmus quidem au-

to-

tomata pro dispositione variâ mo-
veri ; sed non sine aquâ aut aëre.
Liceat itaque & rebus creatis vi-
vere ; sed non sine vita spiritu, qui
vivificat omnes mundanas rotas.

Clarius adhuc & melius id ipsum
asserit ingeniosissimus & laboriosissi-
mus Kircherus in arte magnet.
I. 3. parte 7. p. 729. *Spiritus*, in-
quit, omnium animæ functionum
organum necessarium sunt. Horum
enim vi admirabili totum corpus
vivit, sentit, se movet, nutritur
augetur : hi concoquunt, digerunt,
egerunt, attrahunt omnésque vitales
actiones perficiunt : his languentibus
omnia languent : hi omnes rerum
species accipiunt, deferunt, & ad
phantasiæ motum voluntantur in cor-
pore, non secus, ac lapide in aquam
tranquillam conjecto, circuli causan-
tur, se diffundentes totumque cor-

*pus alterant : unde non immeritò
ab Hippoc. τὰ σώματα ἐνορμήσυται
dicuntur.*

Nec Mantuanus Poëta Virgilius
id nesciit, quando rerum, quæ cor-
pori humano insunt, probè gna-
rus, hæc verba in versum illigavit.

*Spiritus intus alit, totamque in-
fusa per artus*

*Mens agitat molem, toto in se
corpo miscet.*

SECTIO TERTIA.

*Probat spiritum vitalem esse
Naturam morborum Medicina-
tricem.*

ET hic spiritus profectò illud est,
quod nos in homine Naturam
morborum Medicatricem appella-
mus, qui semper ad partem corpo-
ris

ris læsam restituendam pro mune-
ris sui ratione per se se contendit ;
ubi tamen suam videt ab adversa-
riis exarmari potentiam, opem Me-
dici implorat , iþvocatqne. Hic
est , cui omnes saniores Medici in
primariâ sua indicatione conser-
vando vires naturæ , satisfaciunt .
Certè de eodem spiritu vitali Seba-
stianus Wirdig in suâ Medicinâ spi-
rituum libr. 1. cap. 16. §. 22. do-
ctissimè sic inquit : *finis spirituum*,
ut ex antecedentibus patuit, est, ut
corpora creaturarum beneficio eo-
rum irradiata vivant, sentiant,
moveantur, sui simile generent; ha-
bent & alios fines, qui sub iam di-
cis comprehenduntur, ut conser-
vent corpora in debito statu, & na-
turali constitutione, seu sanitate, ut
sanguificant, motu suo sanguinem à
coagulatione & grummeſcentiâ præ-

servent, & aciditate; ut discutiant heterogenea, ejicient impuritates & fuligines, ut vulnera consolident, & quidquid amissum est per insensibilem evacuationem & per ulcerā, restituant; ut paucis multa complectar, spirituum finis est, ut per eos corpus sanam vivat, & longam vitam; hi enim soli sunt vitae authores, conservatores, morborūmque Medicatores.

Authoritati subjungamus rationem. Si enim à spiritu nostro vitali omnem chylum, sanguinem, lympham, & quosquos humores in statu naturali constitutos, seu partes fluidas (quas nunquam in quavis corporis parte remorari Author naturæ instituit) in motum progressivum & circulatorium deduci, conservarique concipis, cur ergo dubitares omnem materialem & pro-

proximam morborum causam (sive ea sit partes naturales fluidæ in quantitate, qualitate, & stagnatione peccantes, sive extraneum quoddam sub fermenti nomine præternaturaliter adveniens) ab eodem spiritu vitali, vel anteà sufficiente vel Medicamentis sibi magis analogis confortatō, posse subtilitate suā resolvi, fluidam effici, cum reliquis circulantibus humoribus in motum deduci progressivum, donec, quidquid causæ malignæ in nobis est, per sudorem, vel urinam, vomitum, diarrhæas &c. pro commodo naturæ emunctorio, eodem propellente spiritu excludatur, ejiciaturque. Exemplum clarissimum nobis ostendunt febres ; quid enim est, quod celeriorem in iis pulsū efficit, nisi vitalis ille spiritus, qui ab externo vel interno fermento

sanguini se commiscente commo-
tus, ad id de se excludendum, ej-
ciendūmque fortiter est occupatus.
Hinc doctissimè Neoterici febres
definiunt per salutare Naturæ co-
namen. *Febris*, inquit Campan-
nella lib. 1. de sensu rerum cap. 13.
Spirituum fervor est armatorum,
ad bellum contra inimicum humo-
rem, dum in perniciem inimici pu-
gnat, totum dissolvit compositum.
Hoc arcanum de febre latet Medi-
cos, putantes rem esse perniciosam,
quam ego judico utilem.

Nec deerit nostræ opinioni fir-
miùs roborandæ experientia. Vi-
dimus sæpiissimè morbos diversos,
ut: leviorem capitis dolorem, ery-
sipelas non adeò radicatum, catar-
rhus & plurimos similes non inve-
teratos & pertinaces morbos, solâ
servatâ meliori diætâ sponte ces-
sasse.

sâsse. Et quid sustulit earum eau-
fas, nisi spiritus vitalis per antedi-
ctam diætam in statu suo naturali
conservatus, atque restitutus. At-
que hinc ratio non obscura reddi
potest, quod senum morbi non ita
facile currentur, quam juvenum,
quia videlicet spiritus in illis defi-
cit; in his vero debitâ proportione
inest.

Non aliter rem concipio in no-
stro vitali spiritu, nisi Belliducem,
cum subditis suis militibus. Hos
namque, ut ab hoste vel præviso,
vel imminente, vel præsente cha-
ram defendant, conserventque pa-
triam, variis instructos esse officiis,
vel ipse vidisti, vel a militaribus
audivisti Discipulis, & Magistris.
Horum tamen quilibet in diverso
constitutus officio, ab unica Ducis
voluntate pendens, tam ad compa-

randum pro illo & se ipsis conservandis debitum, quod vel ab hostibus eripiunt, vel à patria recipiunt, alimentum, quàm ad præpedendum, vel instrumentis bellicis debellandum hostem paratus vivere debet.

Tale quid non absimile spiritui nostro vitali & diversis corporis humani partibus organicis evenit. Quid enim est, quod Duce bellum in Patriâ nostrâ præsentat, nisi Spiritus Noster Vitalis in corpore humano, subtilitate suâ, quasi quadam voluntate, claritate, luminositate, &c. ubique existens. Hic primò petit, ut ex patria, id est, aëre analogum pro sui conservatione alimentum seu spiritum pulmones deferant; vel ab hoste, id est, diversis alimentorum speciebus latentem inibi Universi spiritum in se partes organicas.

organicæ & viscera recipiant, átque
quod heterogeneum & inimicum,
reperitur, per certas viscerum glan-
dulas secernant, & ejicient, ut,
quod purius sibiique convenientius
reperit, pro sui conservatione in se
recipiat. Hæc prima voluntas fuit.
Altera est, ut, quam causam mate-
rialem (sive ea sit velut proditor
patriæ, sive superbus principis vitæ
ab hoste conductus insidiator, sive
piger in bellando miles, id est hu-
mor quantitate, qualitate, stagna-
tione peccans, sive hostis sub fer-
menti alieni nomine humoribus na-
turalibus se immiscens) ex se ipso
subtilitate sua, claritate, impetu &c.
resolvit, fluidam fecit, átque in mo-
tum deduxit progressivum & cir-
culatorium, ut inquam ea diversis
visceribus, glandulis &c. tanquam
hostis jamjam victus è patria idest
hu-

humano corpore, salva post hostium stragem palæstrâ, ejiciatur, eliminetur, & in hostium provinciam, ne in humano corpore seu patriâ nostrâ ut corruptum caderet principi & subditis molesta futuri mali causa existat, remittatur.

SECTIO QUARTA.

Probat analogiam spiritus nostri vitalis cum virtute Solis & Astrorum.

Quod solis, astrorumque virtus mundo hoc spiritus hic tribuit corpori humano; illa subiectas res omnes suo animat influxu, fovet calore, activâ vi nutrit, & ad debitam illis perfectionem ducit. Hic suâ pervadit subtilitate artus, nervos, fibrillas, omnes arterias, venu-

venulásque corporis universas &
balsamicā virtute congruentem
omnibus vivacitatem inspirat. Hic
(ut suprà jam ostendimus) pro va-
riâ organorum, viscerum, glandu-
larum strukturâ varias ac diversas
efficit operationes, & munera subit.

Et quis unquam negabit, spiri-
tum nostrum vitalem ab influente
solis vivifica vi augeri, conservari-
que. Tackius in mysterio resurre-
ctionis rerum de Majo & eâdem
Solis virtute differens copiosam
molæ nostræ affundit aquam, dum
ait: *totus sanè mundus revivixit,*
durissimūmque gelu expertus, post-
habit is, profligatisque tristioris bye-
mis injuriis, quibus velut à morti-
fero Saturno incarceratus videbatur,
vitâ iterum turget. Spiritus vivi-
fici plena sunt omnia: reddit ani-
mus & robur omnibus, & terra-
cœle-

cœlestibus reclusa & irrorata in-
fluentiis, velutque Jove marito im-
prægnata, aut ex solis, lunæque vir-
tutibus, velut in utero habens ex-
tendi cœpit, & intumescere, atque
nunc ubique parere cernitur. &c.

Et certè, quis vere & æstate, ma-
gis magisque jam sole ad nostrum
Zenith approximante tristem mœ-
stumque exhileravit animum? quis
nos in cultissimos vegetabilium,
hortos egredi, & beneficam DEI
in omnibus experiri potestatem con-
citavit? quis senes, multosque ju-
venes à consuetis hyberno tempore
frequentioribus liberavit morbis?
nisi subtilissima virtus Solis iisdem
vernis æstivisque diebus copiosius
aëre Universaliter communicata,
quam ceu spiritum Universi per
naturalem follem nostrum inspi-
rando attrahimus, atque adeò vel
desi-

deficientem in nobis restituimus,
vel suppressum, ligatum, inviscatum-
que liberamus.

Nec mea hæc est, sed Thomæ
Eraſti diſputatione 2. contra Para-
celſum ſcribentis ſententia: *homo*
ſpiritum participat, in quo natura
cœleſti caliditate proportione qua-
dam inest. Id certè ex Aristotele
didicit, qui libro 3. de generat.
animal. *ſpiritum viventis elemento*
aſtrorum analogum pronuntiavit.
Lubet etiam Sebaſtiani Wirdig hac
ſuper re ſententiam afferre, hic in
Medicina ſpirituum L. 1. cap. 26.
§. 11. ait: *Hinc illa eſt aſtrorum*
ſpirituum noſtrorum admirabilis
harmonia, ſenſibilis conſensus, *ſympathia,*
communis motus circu-
laris, non aliunde, niſi propter iden-
titatem ſpirituum aſtralium, qui ſe-
cundūm philoſophum analogi ſunt
ele-

elemento astrorum, & idcirco mutuum habent ingressum, sympathiam, magnatum, raptum.

Idem libr. 2. cap. 30. §. 4. sic ait: Paulatim jactura fit per magnetismum similium, sequenti modo. Spiritus hominis, cum igne sit & astralis natura, propter identitatem naturali appetitu tendit, allicitur & rapitur ad ignium fontes, astra. Spiritus hominis solaris est, sol & homo generant hominem, conservat etiam hominem inspiratione, exspiratione, fontem suum & oceanum naturali instinctu & raptu repetit. Spirituum vehiculum pingue per aërem resolvitur in aërem.

Tolle jam è rerum naturâ virtutem solis, in subjectas terrarum, partes influentem, & Universo vitam sustulisti. Videbis ocyus flac-

ce-

cescere omnia, deficere, interitum
spectare. Audi iterum Sebastia-
num Wirdig libr. 1. cap. 26. §. 6.
Sic loquentem: tolle solem ex mun-
do, auferes non modò præstantissi-
mum cælo ornamentum, sed mundi
oculum & lampadem imò animam
extingues, in pristinum planè chaos
& tenebras rediges Universam re-
rum naturam, remoto sole morietur
omnis homo, cadaver evadet omnis
mundus. Si sol & homo hominem
generat, utique sol & animal ani-
mal, sol & vegetabile vegetabile ge-
nerabit. Nulla generatio fieri potest
sine sole, nulla multiplicatio, nulla
vita, nullus motus, nulla actio, cum
sol sit ignis concentratus, vivificus,
vivificans, luminis origo, mundi
oculus, fons ipsius denique vita, juâ
enim vivificâ & spirituali influen-
tiâ suscitat & excludit spiritus ve-

E geta-

getabilium, fovet animalium, **E**
eosdem conservat.

Testatur id ipsum tristissima hyc-
mis imago. Quid enim est, quod
viridantes deformat agros, amœ-
nissimum sylvarum decolorat vul-
tum, vix non elysios invertit cam-
pos? quid vegetabilium generatio-
nem in suspenso tenet, bruta in-
antra sua subterranea cogit, homi-
nes intrà muros includit? quid tan-
dem, quod plurimos in nobis mor-
bos producit, vel relinquit? nisi re-
cessus ille solis, quo illius vis ac vi-
vifica virtus, in sublunaria cætero-
quin influens, eo tempore nobis
est denegata.

e (o) e

CAPUT

C A P U T II.

De

Morbo.

MOrborum genus omne à fluidis originem trahens incorpus humanum aliundè non derivatur, quām quod spiritus ille, æquali cæteroquin vigore per membra divisus, si parte quapiam deficiat, affectam illam, nec suis sufficientem actionibus, ægrāmque relinquat.

Deficere autem spiritum hunc aliquando necesse est, vel quia ipse, quod creatus est, átque ideo mutationi subiectus, diuturnitate, motu, immoderatis animi passionibus, actioneque continua tandem attenritur & enervatur; vel quia ipse ab hostium incursti, puta humorum,

naturalium in corpore humano tardius fluentium, stagnantium, irritantiūmque; vel sub fermenti nomine illis immixtorum, quos ob copiam, visciditatem, tenacitatem, resistantiam &c. in motum fermentativum, progressivum, secretorium vel excretorium deducere nequit, opprimitur; & deficit.

Jam jam annuentem te mihi conspicio, si liberum ultrō legendi animum præstiteris, in omnibus mihi tutè assentiēre. Una ad valitudinarios concedamus. Hic æger acutissimis sibi caput doloribus penè rumpi; parte aliâ totum corpus sibi aliquis ad suas functiones exaruisse lamentatur: tertius molestâ & Universali affectus hydrope vix ampliùs spirat, tristis ac mœstus lecto affixus, fortassis brevissimo temporis spatio vitam amissus.

rus. In originem & morbi causas
inquiramus.

Accusant theorici læsum fluidorum motum & crasim perturbatam. Illi in anxio dolore capitis à stagnante aut sanguine: unde phrenitis; aut lymphâ acri, viscidâ &c. unde dolor magis gravatus; vel certè sanguine aut lymphâ acriore tardè fluente, ac continuâ irritatione membranas cruciante: sicut in scorbuto & lue venereâ est videre; vel denique à nimiâ fibrum ventriculi tensione (in qua spiritus vitalis ad removendas causas materiales eundem ventriculum afficientes copiosius influit) ad caput usque tendentium dolorem oriri.

In secundo ægro nostro asserunt præter defectum & corruptionem (quæ fieri solet in scorbuticis &

lue vendere à affectis) succi nutriti-
tii, obstrukciones à lymphā viscida,
tenace &c. ortas, vias neimpe ad
partes nutriendas præcludendo. Et
illi ipsi concludunt, quod spiritus
in mœrore & tristitiâ non satis fi-
bras carneas inflans ob conciden-
tiā aliqualem (licet nutritionis
debitæ succus nutriticius aliquando
admittatur) non tamen partem
nutritam, vel nutriendam, exten-
sam ostendat. Neque sanguinem,
crassum non satis volatilem à succo
nutriticio excludunt.

In tertio paciente nostro unani-
miter consilium faciunt de lymphā
viscida, acri &c. extra vasa lym-
phatica in cavitatem internam, vel
intrà musculorum, vel fibrarum in-
terstitia effusâ, stagnante, motûque
progressivo peccante.

Opti-

Optimè dictum, nec ego dissensio. Ast hic pedem illi figunt, ego verò in inquirendis Casuum nostrorum causis ultrà progredior & dico; quæ hic adducta sunt, remotas duntaxat, aut si velis etiam proximas, immediaatas causas morbi materiales esse; a formalem vero causam, seu morbum ipsum cum suâ efficiente causâ nihil aliud esse, quam impeditam & deficientem ab his causis spiritus vitalis potentiam, quo minus, ut de se tanquam morborum Medicatrix, & ex naturâ suâ intendit, partibus affectis in resolvendis, in motum progressivum & circulatorium deducendis, removendisque suprà memoratorum morborum causis succurrat.

Nec Sennertus, libr. de morbis, à nobis alienus est, dum morbum sanitati contrarium contrariâ definitio

tione definivit, quod sit impotencia ad agendum? Cui autem impotentia hæc attribuenda? nisi subtilissimo, invisibili, conceptibili tamen corpori alicui omnem alias actionem sanam efficienti, quod reverè spiritus appellatur.

Nec assertionis meæ mirere insolentiam: si caput & totum corpus eâdem, quâ antea, vel fortiori (ut ita loquar) copiosiorique spiritûs vitalis ad prædictas morborum causas removendas potentia pollerent, certè brevi temporis spatiô nec caput dolorem patetur, & corpus debitum suum nanciseretur nutrimentum, & aqua. Hydropica brevissimè educeretur. Sic enim spiritus vitalis naturali proportione suâ corpori, ejusque partibus inhærens, partes vel corpus levioribus morborum causis

ex se ipso (ut suprà memoravimus)
liberare potest, quid deinde obstat?
quin analogò sibi medicamentō
confortatus, auctúsque pertinaces
magis, magisque alias resistentes
morborum causas vincere possit,
& debellare.

CAPUT III.

*Probat aliquid dari in re-
rum naturā quod defectum
spiritus vitalis restituit &
conservat.*

Si juxta mentem Sebastiani Wir-
dig in Medicina suâ spirituum
libr. 1. cap. 13. §. 7. & Joannis
Tackii in Chrysogonia animali &
minerali, vires, vita, sanitas, mor-
bus, mors, cum spiritu nostro vi-
tali pari passu ambulant; si vita in

spiritu consistit, si sanitas in potentia & integritate spiritus ad agendum, si morbum in impotentiā seu defectu spiritus vitalis supra jam satis demonstravimus, nihil jam, ut, scopum præfixum de Medicina Universali attingamus, nobis superest aliud, quām ut ostendamus, quā ratione impotentia hæc in morbis seu defectus spirituum vitalium restitui, ac debitus eorundem vigor conservari possit. Et profecto corpus nostrum cum subditis suis partibus, virtute spirituum vitalium, haud satis ad expellendas morbi causas à fluidis radicibus ortas instructum, átque ideo & grum, juvari, roborarique posse adductis per Medicinam Universalem suppetiis & schola Hermeticorum cum sacris paginis docet, & ratio probat, & experientia testatur.

Et

Et primò quidem probandum
mihi venit, quod ille analogo re-
medio unico, ubique latente con-
fortari, augerique possit. Secundò
quomodo illum in vigore suo per
aliam methodum conservare sit
possibile. Ad primum.

Si acutiori mentis indagine to-
tum contemplemur mundum, tunc
certè videbimus, ut cum Tackio
libr. de resurrectione rerum loquar,
totum visibilem ab invisibili regi,
gubernarique. Quid illud invis-
ibile, nisi spiritus Universi, corpus
subtilissimum, tenuissimum &c.
mediante vario astrorum influxu
sublunaribus omnibus vitam, ge-
nerationem, augmentationem, sa-
nitatem impertiens. *Hic est*, in-
quit, Sebastianus Wirdig libr. i.
cap. 26. §. 9. *Hic est ignis ille cœ-
lestis, quem Prometheus Japeti filius*

con-

consilio Minervæ è cælis pro animan-
dis mortalibus clam sustulit. Hic
est Sendivogii sal armoniacum oc-
cultatum in ventre arietis, cuius
patrem esse solem, matrem vero
lunam, & quod ventus portaverit
illum in ventre suo, juxta verissi-
mam Hermetis explicationem in
epilogo asserit. Hunc appellarunt
multi, instrumentum DEI, ignem
naturæ, manna cœlestè, avem Her-
metis, aquam vitæ, mercurium phi-
losophorum, Ventum vitalem.
Aristoteles eum nominavit quin-
tam essentiam. Hippocrates impe-
tum faciens. Hiobius ventum sive
auram vitalem. Zoroarter, Hera-
clitus & Plato mundi animam. Pe-
trus Joannes Faber in sapientia Uni-
versali eum vocavit materiam pri-
marum eliciendam ex elementis visi-
bilibus. Basilius Valentinus omne
in omni. Hic

Hic est occultus in aere vitæ ci-
bus , quem *Cosmopolita* rorem de
nocte , de die aquam vocavit rare-
factam , cuius spiritus invisibilis me-
lior est quàm Universa terra . Hic
est , quem aquis primordialibus in-
cubuisse S. paginæ nobis ostendunt .
Hic est *Roberti à fluctibus* fons
actuum , formarum , & essentiarum
rerum omnium tam in cœlis quàm
in terris , meditatione cuius omnia
vivunt , moventur & agunt . Hic
est spiritus mundi , quem Joannes
Tackius lib. de resurr. rer. naturam
naturatam appellavit , & ultrò sic
loquitur , hæc est , quæ quidem per
universum terrarum orbem , singu-
lasque ejus partes sit diffusa , princi-
palem tamen sedem suam habeat in
sole , atque sic sit *Spiritus , igneus ,*
ignis invisibilis , virtus solis virufica ,
Et secretâ facunditate dotata , quæ
qui-

quidem virtus, et si unica sit, varie
tamen vestiatur: secundum illud
tabula hermetica: sic omnes res
fuerunt ab uno meditatione unius;
sic omnes res natæ sunt ab hac una
re adaptatione.

Hic est, qui in omni cibo nobis
asservatur, de quo Nuyslement ita
loquitur: cibi omnes non sunt nisi
excrementa succum invisibilem &
spiritualem tantum continent
aptum ut in carnem & substantiam
nostram congeletur & transubstan-
tietur, ac proinde à natura attrahi-
tur, totâ massâ per loca destinata
rejectâ. Robertus Flud apud Ta-
ckium de aëre sic loquitur: in illo
inclusus est Spiritus altissimi, qui
in creatione ferebatur supra aquas
teste sacra scripture & volavit su-
per pennis ventorum.

Et

Et quis amplius dubitat Spiritum
Universi dari, & ab astris commu-
nicari rebus sublunaribus. Nec
deest unanimis Astronomorum &
& Philosophorum consensus, nec
experientia ipsa à doctrina nostra
erit aliena.

Sebastianus Wirdig in Medicinâ
Spirituum lib. I. cap. 26. §. 9. ait:
*Astra nil nisi Spiritus de se radiant,
spirant, spargunt, luce suâ, lumine
radiis, quos ultrò in se recipiunt
corpora naturalia spirituosa, ob si-
militudinem, identitatem radii
ptum, qui est inter similia.* & §. 10.
*Aér semper inebriatus est ebriosus
imprægnatus astrorum spiritibus,
lumine, radiis, influentiis, igne
virtutibus cœlestibus, nunquam va-
cuus expers.* & Nuysement pag.
199. *Evidentissimum autem est,
vitam esse rem cœlestem radi-
nam,*

nam, quod igitur eam conservare
potest, ejusdem naturæ esse debet,
quia omnes res ex eo sutentantur,
unde originem sumunt: dicam verò
adhuc amplius hunc conservatorem
ipsam vitam esse. Idem apud Ta-
ckium lib. de resurr. rer. ait: va-
stum hoc mundi corpus motu prædi-
tum esse, eoque perpetuò agitari,
motum verò sinè Spiritu vitali fieri
non posse, propterea quod, quidquid
vitâ caret, immobile sit. Rober-
tus de fluctibus lib. de uromantia,
cap. 5. ait: admirandum & occul-
tissimum est aëris seu elementi sub-
lunariis sive Spiritus catholici inter-
num invisibile, quippe quod est sal
quidem volatilis, in quo sinceri de-
litescunt, & resident vivifici cœlo-
rum influxus.

Aristoteles & Peripatetici purio-
res eundem ipsum Spiritum intelle-

xerunt sub nomine quintæ essen-
tiæ, seu elementum astrorum, quod
cum omnibus rebus sublunaribus
commiscetur. Sententiam Aristote-
telis Fernelius lib. 1. de abditis re-
rum causis diligentissimè expressit,
ait enim: *juvat sententiam Aristote-
telis epilogo concludere: una cœli
vis* Θ *facultas omnium caducarum*
rerum vires prae se fert: has autem
vector mundi Spiritus è cœlo in to-
tum Universum diffusus rebus omni-
bis impertit, simul Θ *speciem*
 Θ *nativum vitalemque vigorem*
gignendis illis, atque conservandis
accommodatum. Cicero lib. 2. de
Natura Deorum sub nomine Na-
turæ hanc ipsam vim exponens,
ait: *est vis quædam ciens motus in*
corporibus necessarios, cuius ordo in-
dicat, quid cuiusque rei causa effi-
ciat, Θ *quid quamque causam se-*

quatur. ex Scholasticis peripateticis id ipsum senserunt Franciscus Piccolomineus, & Zabarella, & præter D. Thomam Alexander de Hales, qui part. 2. quæst. 1. ait: *Sententiam suam esse, quod in elementis mundi insita sit à Conditore natura quædā, re ipsa differens ab elementari, simplex & incorporea, ut possit esse principium substantiae simplicis.*

Confirmant hanc Spiritus existentiam adhuc alia Scripturæ documenta, imprimis in principio ad ductum Ezechielis ab ore Altissimi notatum effatum: *veni Spiritus à quatuor ventis & insuffla istos interfectos, ut vivant.* Quibus verbis Tremellius adstipulatur dicens: *Sol lustrans Universa, in circuitu pergit Spiritus, & in circulos suos revertitur, vel ut Pagninus habet: sol vadit ad meridiem & circuit aqui-*

teti-
cus
&
r de
ait:
ele-
tore
ele-
pos-
licis.
exi-
do-
ad-
sumi
us à
in-
ver-
ens:
uitu
uos
pet:
cuit
m-
aquilonem, **S**ed circuitus suos re-
vertitur ventus. Quo quidem
textu innuitar Universalis vento-
rum & aeris vis in sole per verbum
DEI, in quo est rerum vita, secun-
dum illud Psalmistæ Divini: verbo
DEI firmati sunt cœli **S**omnis ex-
ercitus eorum *Spiritu oris ejus.*
item Psalm. 140. **S**piritus tuus
incorruptibilis est in omnibus. &
Psalm 104. auferente Te Spiritum
eorum non hominis saltem sed omnium
viventium emoriuntur. Dante Te
Spiritum tuum creabuntur **S**reno-
vabis faciem terræ. Quod manifestè
rediens post hyemis injurias ver at-
que æstas demonstrat.

Jam ad experientiam & exinde
deductam rationem. Dico itaque
cum Sebastiano Wirdig lib. 1. cap.
26. §. 15. in demonstrandis his non
ero operosior, cum astra in hæc in-

feriora influere, bardi etiam, blenni
& plauti intelligent, comprehen-
dant, sentiant sensibus externis, ta-
ctu, visu, & profecto lunæ influ-
xum intelligunt rustici; mercurii
in concitandis ventis; martis in ci-
endis tonitruum ignibus observant
Physici & Astrologi; Solis influxus
omnium manifestissimus est omni-
bus. Observamus enim in vere &
estate, dum magis magisque suos
in nos rectos dimittit radios, motu
suo omnia foveri, continuari gene-
rationes propagationesque rerum;
autumno vero & hyeme, dum non
ita ad nos radios suos distribuere
potest, omnes in suspenso sunt ge-
nerationes vegetabilium, & quid-
quid in aëre vivit libero, infirmum
quasi & emortuum cernimus, &
ipsa animalia deficerent, nisi ab ali-
mentis & aëre latentem astrorum
vix,

enni
nen-
s, ta-
nflu-
curii
n ci-
vant
nxus
nni-
re &
suos
notu
ene-
um ;
non
re
ge-
uid-
num
&
ali-
m-
vim,
 vim, virtutem, Spiritum &c. in
conservationem sui assumerent.

Rectè igitur cum Authore Phy-
sicæ restitutæ concludo: corpora
naturalia, quæ activam vim obti-
nent, non per solas qualitates, ut
vulgus existimat, agere, sed per
Spiritus secretos.

Spiritum hunc Universi in omni
latere sublunari, in omni aëre, in
omni vegetabili, animali & mine-
tali, hoc æquè certum est, ac ejus
ab astris influxus. Si enim vires,
vita in spiritu, & vitam per aërem
conservamus, quis negabit, inibi vi-
vificum absconditum esse Universi
Spiritum; idem de cibo potuque
estò judicium. Accedit, si eadem
foliis & astrorum virtus diversarum
specierum (quod manifestè in re-
gno vegetabili elucet) generatio-
nis principium est, & tot diversa-

rum plantarum diversa semina in-
tam variam magnitudinem , figu-
ram, altitudinem &c. actuare po-
test, quis inficiabitur, prius actuau-
tem solis astrorumque vim seu Spi-
ritum (ut nos vocare consuevi-
mus) jam in his tanquam in solito
peregrinantis hospitio quiescere,
donec vel in aliam provinciam , id
est, in animalia migraverit, vel, cor-
rupto omni subiecto in patriam,
suam , id est , ad cœlum , seu chaos
suum reversus fuerit. Ipsa quoque
authoritas, quam fidelis confirma-
bit experientia, in sequentibus, ne
eadem ad fastidium bis repetere
necessæ sit, nostræ accedet rationi.

Jam verò, quod Spiritus hic Uni-
versi nostrum in corpore humano
latentem insitumque ob continuas
vicissitudines morbosque deficien-
tem Spiritum confortet, roboret,

au-

augeat, itidem & ratio & experien-
tia cum virorum in arte peritissi-
morum authoritate concordant,,
consentientque.

Ipse Hippocr. lib. de flatibus sic
asserit: quidquid nutritur & nu-
trit, spiritu nutrire & nutriri dici-
tur, tum quia cibis & potulentis
omnibus spiritus quidam inest, tum
quia spiritus ille liber factus per di-
gestiones, spiritui nostro se jungit,
eique pro alimento est.

Robertus de fluctibus lib. i. de
uromantia cap. 5. Quod totum ut
clariori stylo intelligatis vos, sciatis
velim, quod ab isto sale occulto, ra-
tione dupli nutriamur: vel imme-
diatè à fonte illius salis catholico vi-
delicet à sale virgineo & minime
adhuc specificato: vel mediatè ni-
mirum à sale isto prius specificato
hoc est nutrimenti, vel carnis vel

piscis vel frumenti, vel alterius rei
vegetabilis specificato; In priori sen-
su, sal iste, mediante Spiritu mun-
dano seu aëre per inspirationem, in
simplici & virgineo suo statu ad ce-
rebrum & cor attrahitur, atque in-
troducitur, & in ista Spiritualis at-
que invisibilis nutritionis specie su-
stinetur scintilla vita quasi pabulo
suo proprio, & in Natura minimè
ab ea differente, non aliter quam
ignis tabescens novo ligno vel car-
bone reficitur. At verò, quatenus
mediate per carnes animalium &
variam vegetabilium assumptionem
introducitur in corpus humanum,
multa ait egere depuratione pro-
pterea, quod in ipsis multo humori
aqueo, grosso vel etiam terreo sal ille
sit involutus.

Joannes Tackius libr. de chryso-
gonia animali & minerali: Aureus
vita

vitæ Spiritus, qui in aureo sanguinis latice conservandus, & generandus est proximum animæ nostræ instrumentum, & quidem ex cibis & potulentis, quæ quotidie assumimus.

Sebastianus Wirdig libr. i. cap.

16. §. 21. generantur, restituuntur Spiritus nostri, non ex Spiritibus alimentorum tantum, sed etiam ex aëre, radiis, igne, seu Spiritibus astrorum imprægnato. & ibidem, §. 20. nec tantum ex simplici aëre vivimus, & Spiritus generantur, sed est in aëre insuper siderum occultus vitæ cibus, ut loquitur cosmopolita.

Idem comprobat Sennertus il-
lustri suâ Spiritus vitalis definitione;
ita enim loquitur: *vitalis Spiritus*
est, qui in corde ex puriore & te-
niore Sanguinis parte & aëre, opere
respirationis & arteriarum dilata-

F s tione

tione attracto in sinistro cordis ven-
triculo gignitur & elaboratur.

Viderunt quippe unà mecum
viri sapientissimi, sagacissimique
naturæ indagatores corporibus
mixtis Spiritum quendam virtuti
solidis & astrorum analogum à re-
rum parente Naturâ, aut ab ipso
potius Naturæ authore DEO infu-
sum esse, atque ideo omni ingenii
vi, solertiâ, ac ratione ab experien-
tiis certis petitâ in unam naturæ
veritatem inquirendo, hoc unum
unà mecum deprehenderunt, insi-
tum nostræ vitæ, actionumque na-
turalium Spiritum, tam ex aëre,
quam iis, quæ ore assumimus, sem-
per restituî, conservari, augeriique.

Et certè nihil potest suppeditare
& generare Spiritus, nisi illud
ipsum, quod Spiritus habet, & spi-
rituosum est; quod enim quis non
ha-

habet, cum altero communicare non potest. Sic vegetabilia & animalia Spiritus non possunt suppeditare, nisi materialiter in se habeant. Deinde nostrum fundatum firmum tenet illud: Si ex aëre, ut notum est, haurimus morborum epidemiorum, febrium & morborum contagorum semina, causas & miasmata, imò ipsam pestilentiam, utique & ex benignastralium corporum imprægnatione, influentiâ, illustratione, irradiatione vivificam & vitalem flamمام, sanitatem, vitam. Nostræ opinioni suuim addit calculum Nuyfement p. 199. evidentissimum autem est, vitam esse rem cœlestem & divinam; quod igitur eam conservare potest, ejusdem naturæ esse debet, quia omnes res ex eo sustentantur, inde originem sumunt: dicam vero

verò adhuc amplius hunc conservatorem ipsam vitam esse.

Spiritus vitales ejusdem esse cum aëre vitali constitutionis, naturæ & materiæ, docet mutua aëris & Spirituum vitalium sympathia, & consensus: si enim aër impetuosus est, nubilosus, nebulosus & turbulentus, utique per sympathismum easdem patiuntur corporis nostri Spiritus tempestates, vicissitudines &c. Et hinc homines, serenô cœlô & aëre, sereniori, & hilariori: contra verò pluviosô & nebulosô, tristiori, minùs alacri, & erecto esse animo omnes ultrò fatemur, & experimur.

Quemadmodum autem non omnis aër, sed maximè purus ab exhalationibus, effluviis, & miasmatis omnibus maximè alienus, atque influentiis astrorum temperat com-

commixtis refertus, ad vitam sa-
nam producendam est necessarius;
ita quoque non omnis cibus & po-
tus pro restituendis spiritibus vita-
libus idoneus est. Atque hinc opus
est, ut astrales, analogique Spiritus
in illis alimentis absconditi, rejectis
omnibus elementaribus scoriis,
impuritatibus purissimum eva-
dant Spiritus nostri vitalis in-
siti quocunque modo deficien-
tis nutrimentum, pabulum, Medi-
cina. Quod, ut fiat, artificialis hæc
corporis nostri structura tot gyris
& mæandris à providissimo Naturæ
authore DEO aptè est distincta, tot
ex partibus affabré facta, tot culi-
nis debitè instructa, tot focus pul-
cherrimè exornata, & velut Uni-
versale aliquod laboratorium effor-
mata.

Deinde

Deinde quid dejectio alvi, quid
lotium, quid insensibilis transpira-
tio, quid sudor aliud nobis deno-
tant, quam inutilium elementorum
separationem & cœlestium, id est,
spirituum purissimorum assumptionem.
Quomodo autem separatio
haec fiat, hic repetere non vacat,
cum jam superius, ubi de actioni-
bus vitalibus sermo nobis fuit, ab-
unde fuerit demonstrata.

Sed magnum hic oritur dubium.
interrogant nonnulli, si ex aere &
alimentis nobis conservamus & re-
stituimus Spiritum vitalem, cur
ergo non semper tollimus hoc me-
dio morbos, imò aut morbum ad-
huc procreamus, aut jam jam præ-
senti augmentum damus ; sine,
scrupulum tibi eximam. Id inde
evenit, quod illa, quæ assumimus,
modico sint circumscripta spiritu
astra-

astrali; hinc tardius sanant & rau-
rius; vel quod sint maximè fixa &
dura, quæ Natura fermentis suis
naturalibus nunquam, aut difficul-
ter dissolvere potest; vel quod ni-
miâ quantitate assumantur, unde
Spiritus noster vitalis sanè agens
supprimitur & oneratur. nam se-
cundùm Philosophos: inter agens
& patiens certa requiritur propor-
tio; vel denique, quod, si Spiritum
naturaliter constitutum quantitate
lædimus, eò magis etiam asuetis
alimentis, non substractis, lædamus
à morbis deficientem & labilem, &
maximè ubi ejusdem menstruorum
naturalium defectus & inversio unà
præsens sit.

Sufficit jam obiter dixisse, quod
occasione assumptorum Spiritum
nostrum reficiamus, jam verò aliud
nil superest, quàm ut assignemus

me-

methodum aliquam, quâ deficiente
artificiali Medicina Universali seu
L. P. attamen vicariâ citius tutius,
& cum maximâ ægri tolerantia pau-
cissimis omnino paucis Spiritus iste
noster vitalis tanquam vera Natura
morborum Medicatrix confortari,
conservarique possit.

*Methodus curandi succincta ex
antiquo petita.*

Per diætam, quâ omnes curan-
tur morbi, claruit olim pecu-
liaris Secta, diætetica dicta, quæ solâ
diætâ feliciter quovis curavit mor-
bos, hodiéque cœberrimè ægri oc-
currunt delicatuli, remediorum ab-
stemii, medicamenta abominantes,
solâ diætâ curandi. Et tunc sola,
ut diximus, Natura manet optima
morborum Medicatrix, adjuta ta-


men

men ministerio, & industriâ optimi
Medici convenientem diætam præ-
scribentis. Et quid obstat, solo
diætæ convenientis regimine mor-
bos curare & persanare posse. Si
enim per malè observatam, quæ sa-
nis colenda foret, diætam homines
intemperatè viventes plurimos sibi
morbos accersunt, quis per ean-
dem mutatam, rite observatam,
rectò usu administratam morbos
eosdem, tolli amplius dubitaret.

lib Tripliciter autem hâc methodo
curamus ægrotos. 1. Confortando
Spiritum nostram vitalem. 2. impe-
diendo ejusdem jacturam & defe-
ctum. 3. removendo inutilia, & à
Spiritu vitali longè aliena, seu ex-
crementa Spiritum Vitalem impe-
dientia, quó minus, ut de se & ex
munere suo intendit, in removendâ

causâ morbificâ materiali partibus
affectis succurrat.

Per diætam verò intellectum vol-
lumus usum sex rerum, ut theorici
appellant, non-naturalium id est.
1. aëris. 2. cibi & potûs. 3. motûs
& quietis. 4. somni & vigiliarum.
5. excretorum & retentorum. 6. de-
nique animi pathematum. Et qui-
dem primò aëre, cibo, potu, lati-
tiâ, amore confortamus, & excita-
mus. Secundò quiete, somno, re-
tentorum beneficio, remotisque
tristitiâ, timore & mœrore impedi-
mus ejusdem jacturam. Tertiò tan-
dem motu, Vigiliis, excretis remo-
vemus ea, quæ Spiritui nostro
vitali aliena sunt.



SE-

SECTIO PRIMA.

De

Aëre.

Aëre nos vivere, cuilibet notum est, sed methodum, sanam, in aëre vivendi vitam, præscribere, & cur secundùm Cosmopolitam, occulto ejus cibo spiritus noster vitalis confortetur, rationem dare, nobis hic incumbit.

Dari Spiritum Universi in aëre, sub ætheris subtilissimi nomine à diversa solis astrorūmque influentiis procreatūm suprà jam attulimus. Diximus etiam eò loci, sole recedente (id quod contingit autumno & hyeme) plurimos morbos oriri, difficiliusque curari; & hoc fieri hic pronuntiamus ob intemperatam solis cum astris influentiam: hæc enim solis virtus de-

ficit, illorum verò superat. Ex calidissimo aëre in æstate, & climate calidissimo, átque etiam frigidissimo in hyeme, & climate frigidissimo multos & proprios oriri morbos, grassari, periculosissimè homines infestare, notum est Medicis. Tempore hyberno & in regionibus septentrionalibus apoplexias, febres intermittentes, catarrhos &c. experiuntur ipsi incolæ. Æstati & regionibus calidis febres continuas, putridas, & morbos biliosos proprios esse, ipsi sub tali climate degentes nobis attestantur.

Tandem & nos ipsi aërem calore & frigore temperatum, qualis invere & sub initium æstatis est, nobis experimur sanissimum; imò felici & ter fano hoc tempore multos diu protractos, & per hyemem durantes morbos, vel sponte cessasse,

vel

vel feliciūs curatos fuisse, ipsa se nobis experientia testem interponit.

Néque sufficit, ut bona sit à superioribus seu astris influentibus aëris constitutio; ab inferioribus quóque putà diversis exhalationibus, miasmatis, effluviisque putridis aëri se insinuantibus eum omnino immunem ad sanitatem nostram esse oportet. Concudere id licet à locis aquis stagnantibus, mineralium montibus, & putrescentibus animalium corporibus vicinis; quod ipsum etiam à similiū locorum incolis experimur, qui ab ejuſmodi exhalationibus semper ægri decumbunt, nisi facta in aliam provinciam aëre puriore gaudetem aëris mutatio salubris & unica sit Medicina.

Edocti itaque ab experientia, aërem tam in calore & frigore tem-

peratum, purissimum, & ab omnibus exhalationibus immunem, principalissimum sanitatis Conservandæ, & recuperandæ medium esse; tam illo, quam reliquis bonæ diætæ regulis priori subministrantibus, salubrem patientibus nostris curam ordinamus. Illa verò aëris constitutio 1. Naturâ 2. arte talis haberri potest.

Optimum itaque morbos curandi modum à Naturâ habemus invere & æstate, atque matutino tempore. Hinc plurimos morbos per hyemem incurabiles ad salubre hoc tempus ex aſſe curandos differunt non incongruè practici. Nobiscum sentit Tackius in chryſogonia animali & minerali fol. 105. & 106. ita loquens: Optime itaque consularent Medici ægris suis, in omnibus sanitatem æstimantibus, si illis sole

sole arietem ingresso, taurumque & imprimis geminos peragrante suadent matutinas ambulationes ; Si quidem eō tempore copiosissime Spiritus ille mundanus ab æthere defluit , rerumque omnium resurrectionem , qua hyemali tempore fere demortuæ jacebant, procurat. Námque hoc pacto non solū ob nitrosam aëris substantiam volatilisarentur plurima excrementa, sed & ipse magnes vegetabilis in nobis contaretur attracto suo simili.

Néque ineptè suadent practici & gris suis venæctiones ; nam eodem benè disposito aëre, ex eadem ratione vivifica ac temperata, solis virtus inspirando copiosius in exinanita sanguinis vasa succedit , ea que replet , multa morborum repnlsura & edomitura incommoda.

Jam scimus hoc tempore maxi-
mè idoneum esse aërem pro curan-
dis diversis morborum generibus
ob temperiem siderum influen-
tium ad hoc maximè requisitam.
At aér ille aliâ potest peccare ratio-
ne: effluviis nempe miasmatis,
contagiis, ex aquis stagnantibus,
foveis minerarum, & animalibus
contagiis quodam affectis, vel pu-
trescentibus, aëri fœse associantibus,
qui à nobis inspiratus vel causam
in nobis morbificam fovet, vel de
novo Sanguinem humoresque in-
corpore Universos invertit, destruit,
immutat.

Ut jam patientes nostros simi-
lium locorum incolas, curemus &
conservemus, vel mutationem aë-
ris in aliam provinciam, si morbus
admittit, suademus; vel quantum
possibile ad montes, aut colles,

aut

aut altioris situationis loca remitti-
mus, ut unā adhibitis adhibendis
sanitatem rursus recuperent. Nam
miasmata ē terrā qualicunque mo-
dō ascendentia, quō altius attollun-
tur, energiam suam (ut ita paucis
loquar) amittunt, & à puriore
subtiliorēque altioribus iis in locis
æthere corriguntur, emendantur,
atque hoc medio in terram rursus
præcipitantur.

Magnum hic Helmontius rationi
nostræ addit lumen atque splendo-
rem dum ait: *Saluberrimus est aër*
montanus: montes enim maligni-
tate endemicā carent, procul à fœce
corruptionē remoti sunt, expedi-
tissima ibi cœlestium irradiatio, pu-
rissimi effluvii *odoris potatio:*
hinc monticolæ durioris sunt corpo-
ris, vita longioris, vegetioris aliis,
qui campos incolunt, suavior enim

puriōrque aēr inspiratur, evecta
sunt montana super omnes aēris ſ
nubium turbulentias, turbines ven-
torum ſ fulminum, portenta ex-
altata in placidissimam aēris quie-
tem. Testatur id ipsum experien-
tia, nam nefanda pestis, Contagio
&c. in saluberrimis his locis aut ra-
rissimè aut nunquam incolas mole-
stavit, nec infirmos reddidit, neque
è vita sustulit. Atque hāc convi-
ctus ratione, consultius fore judi-
co, nosocomia & loca coritumacia-
rum in altiori situatione saluberrimis
perflata ventis ædificare, quam
patientes peste affectos, vel ab ea
reconvalescentes intrà valles & loca
aquis, præsertim stagnantibus vi-
cina collocare.

Hæc fana & salubris aēris consti-
tutio ab ipsâ Naturâ haberi potest.
At quomodo hyeme id quoque vi-
cariâ

cariâ methodo obtineamus, nova
hic exsurgit quæstio : includunt,
Medici infirmos suos in cubili, ab
externâ frigidi aëris injuriâ planè
libero, átque temperatè à ministris
& adstantibus calefieri præcipiunt,
interea commendant suffitus con-
venientes, quibus malignum forsan
(si dicere licet) ab ægrotis exspira-
tum effluvium temperant, & corri-
gunt, ne inspirando vel in ipsum
infirmum regrediatur, vel adstantes
in similem cogat infirmitatem. His
benè præscriptis adhuc unum ad tu-
tiùs & citiùs sanitatem restituendam
vel conservandam restat, ut ni-
mirùm infirmi, si occasio & condi-
tio non contrarietur, in tale locen-
tur cubile, in quo ob spatium al-
tum prædicta effluvia, adhibito jam
jam convenienti suffitu, energiam
suam amittunt ; nam illa in loco
de-

depresso rursus quasi radiorum reflexorum modo à Superiori in Spatiū inferius reflectuntur, & quasi reperiuntur patienti magis augendo, adstantibus verò similem morbum producendo. Hæc sapienti sufficiant.

SECTIO SECUNDA.

De Cibo & Potu.

Secundum post aërem locum cibus atque potus meretur, eo quod præ reliquis maximè ægrum afficiant. Non tamen volumus illam vietūs rationem, quæ in conservanda sanitate observari debet, disquire; Frustra enim & incassum de illa verba faceremus, quia ex millibus vix unus reperitur, qui in præscripta à Médico diæta sanam semper vitam ageret. Copiosissima

ma etiam, nobis tacentibus, de cibi
& potūs regimine exstat doctrina,
innumeris præclarissimorum do-
ctissimorumque virorum volumini-
bus consignata. Nec de illo victus
regimine, quod ægris convenit, ob-
candem rationem multa verba fa-
ciam, sed paucis brevissimè, & suc-
cinctè talem adducam victus ratio-
nem, quæ cum prioribus nostræ
opinionis fundamentis in spiritu vi-
tali nostro conservando, confor-
tando & superflua retrahendo con-
sentiat.

Præter debitam itaque victus
quantitatem, & ordinem cibandi,
ægrotis nostris, quibus appetitus
viget, & menstrua in suo adhuc na-
turali statu reperiuntur, præscribi-
mus 1. carnes, quia cum nostræ
magis convenient substantiâ, &
quidem 2. animalium juvenum,
quia

quia in illis calidum innatum & Spiritus insitus in majore est vigore, similem nostro spiritui vitali energiam introducendo aptus. 3. saluberrimō aëre gaudentium, uti sunt aves & animalia altos montes incolentia, & in frequentiori motu constituta, nam (uti nos in altioribus à terræ planicie remotis locis sanam vivimus vitam, præserimus dum motum quendam frequentiorē exercemus) ita illa quoque hujus saluberrimi aëris Spiritu purissimo repleta, & agiliora, eundem post factas solutiones, & sequestrationes naturales in nobis purissimum, maximè agilem & vividum relinquunt. Confirmat id Sebastianus Wirdig libr. 2. cap. 12. §. 3. de diæta. *Hoc tamen, inquit, monendum, carnes sylvestrium, præprimis volucrum, salubriores esse domesti-*

mesticorum, quod inde patet i quod
corpora eorundem in perpetuo sint
motu. 1. Spiritus consequenter eo-
rum in perpetua, naturali & de-
bitâ circulatione, quâ sereniores, pu-
riores, defæcatores, subtiliores effi-
ciuntur: motus enim & circulatio
rectificat Spiritus. 2. quia victu
utuntur Natura sue & Spiritibus
convenientissimo, liberè & cum de-
lectu. 3. quia liberiore aëre fruun-
tur, ex quo puriores nullo pathema-
tico insigniti Charactere sibi gene-
rant Spiritus. Carnes econtra do-
mesticorum minus salubres esse di-
cit ibidem, i quia domestica minus
moventur, caveis includuntur &
haris. 2. quia alimenta devorant,
crassi quæ sunt & vitiosi succi, ex
quibus eorundem Spiritus regene-
rantur itidem crassi. 3. quia Squa-
lidis includuntur haris, in qui-
bus

bus putridum hauriunt aërem ex
quo vitiōsi Spiritus &c.

In quibus verò menstrua Natu-
ralia deficiunt, invertuntur, de-
struuntur, prout in continuis febri-
bus, & acutis maximè apparet, iis
brodia non falsa, gelatinas atque
alios per eas præparatos cibos faci-
lioris dissolutionis commendamus.
Quoniam occasione hac non solum
deficientem in nobis Spiritum vita-
lem citius resicimus, verum etiam
inter agens & patiens certam ser-
vamus proportionem, neque one-
ramus magis debilem in nobis
agentem Spiritum, ut in expellen-
dis morborum causis semper existat
fortior, vegetiorque.

Qui verò delicatus, remedio-
rum abstemius, medicamenta abo-
minans &c. curari desiderat, non
melius in depellendā morbi sui

causa materiali faciet, quām si uta-
tur exactē tenuissimo victu seu
diæta, quam Medici inediam, ab-
stinentiāmque nominant. Nam se-
cundūm Hippocratem libr. de diæ-
ta: *multi morbi quiete curantur,*
inediā & abstinentiā. & certè quid
impotentem reddit Spiritum vita-
lem, nisi excessiva humorum quan-
titas semper indies succedens, il-
lūmque incrassans, inspissans &c.
jam vero si quantum hoc inediā ab-
stinentiāque detrahimus, & abun-
dantius denegamus accrementum,
quis non credet, quantō illō insen-
sibiliter consumptō & expulsō, Spi-
ritum nōstrum rursus in pristinum
suum redire vigorem, ut, quidquid
qualitatis morbificæ in nobis est,
eo fortius de se & ex naturā suā
ejicere, everttere, eliminare possit.
Qui plura desiderat, in Schenckio;

Sennerto, & aliis alia, quærat, & inveniet, Medicinam optimam esse abstinentiam. Quo enim, ait Tackius libr. de Chrysogonia animali & minerali, quis plus detrahit corpori, tanto plus adjicit Spiritui; grave corpus nunquam volabit sine aliis : alas subministrant detractio ciborum & alibi ;

Abstinentia res chara pietati & DEO :

Res chara menti & rationi:

Res chara corpori, actionibusque omnibus.

Res rara magnatibus &aulis:

Res rara nobilibus & doctis:

Res rara plebi & vulgo:

Res denique præclara, quia claros reddit oculos.

Abstinentia in vigore & flore pulchritudinis conservavit Danie-

lem

lēm cum sociis. Moses & Elias ad
40. diem jejunium protraxerē; unde illi splendebat facies, purificato
jam corpore: & iste levi & igne
currū subiectus est.

Plinius de Asclepiade memorat,
quod omnibus Medicamentis abje-
ctis, & totā Medicinā ad casum re-
vocatā quīnque res maximè com-
muniū auxiliorum professus sit,:
abstinentiam cibi & vini, frictiones
corporis, ambulationes, gestatio-
nēsque.

Refert Ludovicus Granatensis
virum quendam in Italia, chiragrā
& podagrā mirè divexatum, quin
& cæterorum omnium membro-
rum usu destitutum, ab insidiatore
hoste in carcerem conjectum fuisse;
victum illi quotidie parcissimam,
panis buccellam & aliquid tepidæ
aquaꝝ porrectum. Sed post exa-

Etos quatuor annos, ex ergastulo
sanum, sospitem, vegetum sinè chi-
ragra & podagra, colore vultus
commendabili emissum.

Restat adhuc de victu unum;
videlicet, qualis potus ægris secun-
dum scopum nostrum conveniat.
Quo ut nos breviter expediamus,
dicimus: Si Medici practici & qui-
dem non absque bono eventu, in
variolis, morbillis, aliisque calidis
morbis, vinum colore, odore, sa-
poréque dulciori selectissimum,
non tamen excedente dosi conces-
serunt, & hæc occasione Spiritum
vitalem ad fermentum morbificum
de se expellendum confortarunt,
tunc utique, si in chronicis locum
majorem habeat, eò magis pro-
desse, néque nocere concipiemos.

Et quidem dupliciter, vini nempe
usu & effectu id comprobare nobis

pro-

proponimus; Nam vinum subtilissimā, quam continet, substantiā seu Spiritu immediatè, ut experimur in prandio, nostrum confortat Spiritum vitalem; prout in virium corroboratione, in cordis exhilaratione, in lassitudinibus, in mœroris oblivione sat citò sentimus. Quoad tartaream, quam in vini analysi deprehendimus, substantiam, cibos præcipue duriores facilius unà cum menstruis naturalibus dissolvit.

Experimur hoc in illis etiam sanis, qui post ostreas, limaces & alios difficultioris dissolutionis cibos, nihil nisi aquam vel cerevisiam licet defœcatissimam pro haustu elegunt. Nam paulo post anxietates ventriculi, vomitus, vel ad eundem propensio suboriuntur. Quod idem vino utentibus non accidisset. Nam

sal hoc tartareum citius dentes suos
innibi fixisset, atque facilitori nego-
tio prædictos cibos ab invicem sol-
visset, neque tantam in illis mole-
stiam peperisset. Accedit & illud,
quod vino assueti plus edere pos-
sint in eodem prandio, quam cere-
visiam vel aquam amantes; quia
in prioribus vini sal ille tartareus
citius solutionem intendit, & eo-
dem tempore simul ulterioreme,
ventriculi membranas vellicando,
appetitum excitat, quod neque
aqua neque cerevisia ex hujus salis
absentiâ præstare potest.

Unde omnibus patientibus no-
stris, quibus carnis, ex supra al-
latis, vesci licuit, ad majorem ea-
rum dissolutionem vinum perquam
Iubenter, quantitate tamen homini,
& cibis assumptis proportionatum,
& optimum concedimus. Ab illis
verò,

verò , quibus carnes non conve-
niunt, vinum ex parte nostra retrahimus, ne ob tartaream illius sub-
stantiam ægrum in majus malum
præcipitemus. Nam ex parte suâ
tartarea , absente cibo duriore , il-
lius locô labefactatum jam jam
ventriculi tonum aggrederetur , &
magis magisque rodendo laderet .
Accedit, quod tartarea hæc vini sub-
stantia à bille átque succo pancrea-
tico deficiente & præternaturali
nequaquam , aut minus immitata ,
præcipitata , neque à ciborum ex-
crementis in se recepta , ac proin-
sanguini adducta , fermentum ma-
lignum magnis foyeret , majorēm-
que in humoribus turbam excita-
ret , ægrotos hac forsitan occasione
è vita sublatura. Illis tamen , qui-
bus malignitas quædam cum humo-
rum coagulatione conjuncta est ,

cum Medicis, exactissimā tamen
dosi, & rarissimē de die vinum se-
lectissimum concedimus. Alias
quam simplicem, vel si a grīs libet
ex paucis specificis coctam suade-
mus.

Helmontius Philosoporum pro-
fundissimus de vino talem tulit,
sententiam: vinum, licet calidum,
sit cum tamen palato & stomacho
sit gratissimum, in calidis etiam
morbis modice sumptum, spiritibus
gratissimum est nuncium & alimen-
tum medicamentosum. Qui sola
restauratione & alteritatis Archei
restitutione morbum conculcare in-
tendunt, fermentum scilicet placa-
bile inducere contendentes, ii sanè
spreta quantitate remedii solaque
fermentalis odoris attractu scopum
attingunt.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

De

Motu & Quietè.

Quid commodi moderata motus & quietis vicissitudo afferat, scient illi, qui laboribus, ambulationibus, vescionibus &c. sunt dediti, institutaque post eas quiete integrâ semper fruuntur vitæ sanitatem. Hic enim musculorum motus impotem, segnem, tardumque post longam quietem spiritum excitat, hic plurimorum excrementorum per insensibilem transpirationem, item sudoris, urinæ &c. auctâ sanguinis circulatione à spiritu vitali separationes, sequestrationesque adjuvat & promovet. Illa verò, quies nimirum, post excessivam commotionem ferventem

quasi Sanguinem sedat, dissipatosque per motum violentiorem, & diuturniorem Spiritus ab ulteriori corum jacturâ retinet.

Res non absimilis lignorum ardentium strui videtur; Hujus námque ignis longiori morâ à concidentibus lignis planè suffocaretur, & extingueretur, nec satis potenter arderet, nisi, præter novam lignorum appositionem, etiam ipsa strues ad majorem rursus flammam concipiendam agitaretur.

Exemplum in illis clarissimum habemus, qui studiis & quieto sunt addicti otio; hi námque, pro variâ earum temperie, partium solidarum structura, aliisque adjunctis accidentibus, variis (uti jam expertus sum in aliis) laborant morbis; quibus minimè infestarentur, si interposito motu & deambulatiōnibus,

nibus; tanquam principali quodam
medio, suam vitam ducerent.

Suademus itaque nostris patien-
tibus, ut, si prostratio virium con-
traria non sit, vel in libero aëre vel
hyeme in clauso cubiculo motū
de die frequentiorem sibi commen-
datum habeant; in illis verò, qui
ob nimiam virium jacturam id præ-
stare nequeunt, frictiones sèpiùs
de die adhibitæ salubres agent vi-
ces. Cæterum quies ægris lin-
quenda sit.

SECTIO QUARTA.

De

Somno & Vigiliis.

Quod moderata motū & quie-
tis vicissitudo, hoc idem de-
bitus somni, vigiliarūmque ordo
& tempus adjicit spiritui vitali.

Quem

Quem ergo Spiritum vitalem in
vigiliis, præsertim curâ, mœrori-
bus, tristitiâ, doloribus &c. adjun-
ctis deperdimus; hunc somnus,
impediendo ulteriore ejusdem
jaeturam, in pristinum reducet vi-
gorem.

Qui verò Spiritus in somno, præ-
cipue longiore, hebes, segnis &c.
factus est, hunc vigiliæ rursus, ad-
juvante præcipue muscularum mo-
tu, excitant, exhilerant, & in de-
bitô conservant, vigore, potentia,
vi, facultate, & energiâ, rursùm,
cum malignis morborum causis di-
micaturum.

Ut itaque ægrum à somno, præ-
cipue meridiano, (nisi in assuetis &
planè à viribus dejectis) detinea-
mus, pro diversione varias interlo-
cationes amicorum, adstantium, &c.
præsentiam usque ad debitum so-
mni

in
ori-
jun-
us',
m.
vi-
ora-
&c.
ad-
no-
de-
tia,
m.
di-

nni tempus, quantum æger fert,,
instituimus; illis verò, qui nullum
omnino somnum, ac exinde nul-
lam quietam noctem habent, arte
& quidem paucissim is opiatis, cautè
tamen, evitando omne periculum,
& sinè ullo contraindicante præsente,
admixtis corrigentibus, eum procu-
ramus.

SECTIO QUINTA.

De

*Excretis, & retentis à
Natura, in morbis, institutis.*

Si excretiones præter Naturam,
retentæ vitalem spiritum sup-
primunt, onerant, inviscant, inspi-
fiant, impotentem ad functiones
suas reddunt, cui dubium suborie-
tur eundem in priorem deduci posse
vigo-

vigorem atque potentiam, si ea,
quæ fuere retenta, per debitum à
Natura electum vel prævisum ex-
cretionis locum imitando hanc be-
nè operantem, paucissimâ ad eas
excretiones dispositione adhibita
(non dico medicamentis) cæteris
que bonæ diætæ regulis adjuvanti-
bus removeantur. Profecto non
abs re Divus Hippocrates nos, ut
imitemur Naturam, cohortatus est
Aphor. 21. Sect. 1. quæ ducere
oportet, quò maxime Natura ver-
git per loca conferentia, eò ducere
convenit.

Et hæc sit norma & methodus,
qua in procurandis vel promoven-
dis à Naturâ institutis vel indicatis
excrementis, per locum debitum
ducendis, ægrotis nostris Spiritum
vitalem adjuvamus, conservamus,
& restituimus.

Quid.

id Quidquid itaque sanitatem vel
conservat vel restituit, hoc fecit.
Natura. Hæc in omni morbi de-
cursu & tempore operatur; hæc
tam in principio, quam fine non
quiescit, quidquid maligni in nobis
est, de se expellere. Hæc vomi-
tum instituit in nimiâ ciborum re-
pletione, febribus malignis, vario-
lis &c. alvi fluxus in diarrhæis, dis-
fenteriis &c. Sudores in lue vene-
rea, in sudore Anglo, in febribus
malignis; pthyalismum in lue vene-
reâ, scorbuto, melancholicis &c.
unde illi sputatores dicti &c. hœ-
morrhagias, tumores, mictiones
&c. & quidquid tandem sympto-
maticè in principio & decursu mor-
bi, vel criticè in fine ab ægro ex-
cernitur, vel excerni indicatur,
hoc idem Natura potuit, voluit, &
fecit.

Cur

¶ Cur autem circa excretiones sibi
præfixas non semper suum attin-
gat finem, imò hanc ob causam, aut
morbus protrahatur, aut æ gri mo-
riantur, ratio hæc est, vel quia ipsa
insufficiens est, licet velit, vel quia
ab excretionis officio per alia im-
peditur. Insufficiens est 1. in sene
jam debili, ut e. g. malignæ febris,
si quâ corripiatur, fermentum, præ-
fertim majori energiâ præditum,
vel per sudores, vel urinam &c. ex-
cludat. 2. in illis quibus indies Spi-
ritus vitalis ob certas animi pas-
siones, timorem nempè, tristitiam,
mœrorem &c. in ipso etiam morbi
decursu conlumitur & enervatur.
Impeditur à munere excretionis
dum in benè agendo ab externo
frigore constringuntur pori, dum
æger in calido non detinetur lecto,
dum, si nimia humorum quantitas

præ-

sibi
tin-
aut
mo-
ipsa
quia
im-
sene
bris,
præ-
m.,
ex-
Spi-
pas.
iam.
orb.
ue.
nis.
erno
im-
cto,
titas
præ-
sibi
citiūs, quām par est, e. g. vomi-
tus vel diarrhææ sistuntur, dum
quantitate ciborum excedimus, át-
que hinc plūs excrementorum
spiritibus adjicimus, quām ille ex-
cernere, ejicere, eliminare possit.
Jam vero, si hæc omnia remove-
mus, quæ impediunt; & ea faci-
mus, quæ Naturam ad majorem
excretionem, non dico: irritant,
sed disponunt; quis in dubium re-
vocabit? quin spiritus ille noster vi-
talis, ut morborum Medicator, ex
se ipso omnia sibi heterogēnea ad-
mixta, sub excrementorum no-
mine citiūs ac tutiūs expellere,
possit.

Ut itaque Naturam hanc ad præ-
fixas sibi per convenientia loca ex-
cretiones à principio, per decura-
tum, ad finem usque morbi dispo-

I namus,

namus, ordine hoc rem nostram
instituemus. Incipiente jam morbo
juxta commune adagium: *princi-
piis obsta, serò Medicina paratur*,
quantitatē humorum respicimus,
quā sublatā reliquum Natura solo
nostro diætæ regimine subigere &
evincere potis erit; ut igitur qua-
titas ē primis educatur viis, & qui-
dem ē ventriculo, emetica (si vo-
mitus à Natura institutus, vel ad
eum propensio adsit, nihilque etiam
contraindicat) propinamus. Ut ex
intestinis retrahatur, purgans (si
copiosus alvi fluxus, uti in diarr-
hæsis, Cœliæca passione &c. videre
est, vel enormia ventris tortina,
& fæcum alvi fætor gravissimus
ad sit, atque si nihil etiam contrain-
dicet, ut virium languor, senium
tempus æstivum, febres malignæ
&c.) præscribimus. Cæterum si

quidpiam horum contraindicet, &
tamen adhuc necessitas detrahendi
quantitatem urgeat, enemata sim-
pliciora, imò simplicissima conce-
dimus.

Quantitas tandem sanguinis in
eodem morbi principio tollitur per
venæfctiones, ut ab eodem quanto
suppressus, jam verò liberatus Spi-
ritus vitalis ad fortius dimicandum
animetur & excitetur.

Hæc in principio observanda. In
progressu verò præter debitè, ut
jam diximus, administratam diæ-
tam, quæ maximè Naturam ad ex-
cretiones disponit, ad majorem ad-
huc promovendam inutilium, fer-
mentorum, heterogeneorum ex-
cretionem maximè commendamus,
ne excretiones supprimantur v. g.
fudores per admissum externum,
frigus; imò si non benè succedant,

foveamus per lectum calidum, au-
si omnimodè non succedant, per-
frictiones linteis calidis procure-
mus. Quid periculi temera vomi-
tūs, diarrhææ, dyssenteriæ &c. sup-
pressio fecerit, nōrunt practici,
ideoque medicamenta medicastris,
agyrtis &c. communia, quæ similes
inducunt suppressiones, à nobis
procul exulent.

In fine verò, his benè institutis,
& servatis, totum opus Naturæ re-
linquimus, secundum illud D. Se-
nis nostri Hippocratis effatum, Sect.
I. Aphor. 20. quæ iudicantur &
jūdicata sunt integrè, néque move-
re, néque novare aliquid, sive me-
dicamentis, sive aliter irritando sed
sinere. Atque, dum æger omnia
ea, quæ sibi in hac methodo præ-
scripta sunt, observat, & spiritu vi-
tali præpotente à Natura donatus
est,

est, infallibilem, bonam, salubrem,
crisces victoriam decantabimus.

SECTIO SEXTA.

De

Animi passionibus.

DE animi passionibus non multa differam, cum earum fiendi modus tam à Philosophis, quam Medicis, passim & sufficienter traditus sit. Solummodo nos considerabimus eas eatenus, quatenus Spiritum nostrum vitalem offendunt, & ad actiones suas impotentem efficiunt. Sunt morbi quamplurimi, quos animi passio quandoque sola produxit, quandoque planè cum morte commutavit. Quis dubitat in tristitia & merore Spiritum vitalem debilius moveri,

& continuò consumi, nisi rever-
tente lætitia denuò excitetur & ani-
metur. Testatur id pulsus minor
in tristitia; pectoris gravitas, &
quasi suffocatio; corporis & præ-
sertim faciei, aliarumque partium à
corde remotiorum frigus & pallor;
oculorum coincidentia, & vivacita-
tis interitus &c. ubi è contrà in-
lætitia hæc omnia evanescunt, ac
Spiritus vitalis anteà quasi retrah-
etus, & in motu suspensus, in pri-
stinum reducitur statum; Siquidem
in eâ Spiritus grato modo tum in
cerebro, tum extra illud in nervos
omnes prosiliunt, præseruum in ner-
vos cordis & vasorum constrictioni
dicatos, quo ulterius fit, ut sanguis
grato motu per corpus propella-
tur, omnésque partes blando ca-
lore suffusæ exultent quasi & omne
illud, quod causam morbi materia-

lem

lem induit, circulationis lege per certa corporis emunctoria gratâ rursùs spiritûs vitalis præsentia, dimitunt, ejiciunt, excernunt.

Quemadmodum autem non modicum commodi, ut diximus, Spiritus noster vitalis, & cum eo totum corpus accipit à moderata laxitia, ità à contrario diversas longè alterationes subit in tristitia, desperatione, irâ, odio, invidiâ, &c. ità ut à debito suo munere, quo partes corporis sanare intendit, retardetur & abstrahatur.

Jam vero ut rursùs hunc vigorrem illi conciliemus, omnes has animi passiones removendas, & ilias, quæ spiritum vitalem, vividum, floridum conservant aut efficiunt, causandas non in vanum existimamus. Cum vero nulla animi passio sine objecto quodam fiat, prius

illud, cuius gratia æger grātē vel in-
gratē afficitur, inquirendum, quo
cognito, id quod obest, removeatur;
quod verò prodest, quantum possi-
ble, illi offeratur.

Concludimus denique, & denuò
repetimus, optimam methodum,
quà deficiente nobis arcano illo ma-
ximo, Spiritum nostrum vitalem,
vel Naturam morborum Medicatri-
cem, quantum possibile est, ad quás-
que causas materiales è corpore hu-
mano depellendas, confortamus át-
que conservamus, optimam, inquam
methodum esse debitum & conve-
niens diætæ regimèn modò addu-
ctum, quo certè sine amplâ & nau-
seabundâ medicaminum farragine,
& proptereà sinè periculi metu, sed
paucis Naturam in hoc diætæ regi-
mine tantùm disponimus: (non au-
tem irritantib⁹ remediis, molestam⁹)
tutissimè jucundéq; ægros curabim⁹.

PARS POSTERIOR.

De

*Medicinâ Universalis
Arte acquirendâ.*



Actenus vicariam methodum inquisivimus, quâ Spiritum nostrum vitalem deficientem aut suppressum restituimus, vel ad pristinum (ut fortior Natura morborum Medicatrix existat) vigorem reducimus; quâ unicâ etiam methodô (cum ad indagenda majora Naturæ arcana, & Medicinas spiritui nostro vitali magis homogeneas, cùmque citius, copiosiusque, quam solent vulgares, confortantes inquirendas ingenii acuties aut doctrina desit) contentos nos vivere oportet. Et si hæc methodus ad sanitatem conservandam, & amissam restituendam tantum operetur, quid primo efficiet illa Medicina, aut quanto

quanto certius, citius ac tutius causam morbificam quantumvis pertinacem & resistentem superabit, quæ ab artifice genuinam Universalis Medicinæ operationem intendente, sola è Naturæ gremio eruta in unum homogeneous magis, nullisque aut paucis circumscripturn heterogeneis ac elementaribus particulis corpus sive in forma sicca, sive humida vel sub pulveris vel tincturæ nomine redacta fuerit.

Hæc porrò Medicina sumpta Spiritum illum in corpore nostro hospitantem, sic ubi deficere, & super primi cœperit, roborat, & ad morborum causas, puta semper materiales, è corpore depellendas, hoc est, ad munus suum magis vegetum reddit, magisque expeditum. Habet hoc námque Spiritus è corporibus mixtis collectus, ut, quia ejus-

eiusdem cum Spiritu nostro vitali rationis est, Medicinæ in modum, in corpus humanum dimissus, ocyùs virtute quasi magneticâ & sympatheticâ cum hoc se conjungere nitatur.

Hâc conjunctione factâ, communib[us] viribus & fortiori, quàm anteâ, conatu in hostem itur: cum, subtilissimi sint hi Spiritus, Sanguinem, lympham, partes omnes fluidas naturales, aut peregrinum, quoddam cum illis corpus, vel fermentum admixtum, à visciditate, tenacitate, induratione, coagulatione, stassi &c. resolvunt & penetrant. Cùm juxta Hippocratem, & ex Naturâ suâ impetum præterea faciant, sic resoluta in motum progressivum & circulatorium fortius impellunt, donec, quidquid causæ materialis morbificæ in nobis est, per certa cor-

corporis emunctoria secernant, ex-
cernantque. Unde fit, ut Spiritus
ille noster his auctus suppetiis citra
obicem suo gaudeat perfungi mu-
nere, partémque læsam, solutâ quasi
hostis maligni obsidione, console
tur, id est, post morbum partibus
solidis debitum, ac naturalem rur-
sus conciliet tonum.

Hærere jam jam te video, néque
adhuc satis mente posse concipere,
quî fieret, ut idem adversùs hos-
omnes, puta partium fluidarum,
morbos remedium valeat, & caput
& pedes, hepar, stomachum, &
quasquás partes fluidas afficere
morbi possunt, persanet. Sinè tibi
scrupulum illustri quadam instantiâ
eximam. De virtute Medicinarum
specificarum ad perdomandos o-
mnes fermè morbos nihil ambigis.
Nec ego quidquam hic illarum uti-
litati

litati ac virtuti detractum velim.
Sed illud inter meam ac tuam Me-
dicinam interesse video, quod inter
fœderatum cognatum, & alienum.

Effinge cujusdam provinciæ mo-
deratorem: qui irrumpe[n]te in ter-
ram hoste extremam in partem pro-
vinciæ recipere se coactus, aut in-
tra provinciam elisis viribus nec
moveare se audet. Quæ ille vota,
concipit, quas legationes mittit,
quid non agit, ut principis cujusdam
moveat animum, qui succurrere &
velit, & possit. Excitus alienus
quispiam auxilium pollicetur, sed
quia suam potius quam afficti prin-
cipis spectat utilitatem, suppetias
dissert, aut modicas adducit copias,
sæpè cum hoste ad principis extre-
mam perniciem conspirat, aut certè
potissimum victoriæ fructum sibi
decerpit.

Du-

Dubitas jam: meliusne fuerit, ab
hoste cito periisse, quam, viribus per-
ejusmodi fœdus accisis, longam mi-
seriam extrahere, hoc est, semper
perire.

At si quis cognatus, aut affinis
subsidiarias legiones expedierit, cu-
jus res ob sanguinis conjunctionem
communi videntur involvi periculo,
nihil moræ in succurrendo, nihil in-
tentatum relinquit in hoste profli-
gando: dum amicus in suas testitu-
tus ditiones solidâ pace & quiete
potiatur.

Sic juyat tua quandoque ægrum
Medicina; sœpius persanatio in lon-
gum tempus protrahitur, sœpenu-
mero vires morbi omnem ejus po-
tentiam ac virtutem elidunt, non
nunquam ad accelerandam mortem
cum ægritudine concurrit, semper
Naturæ vires debilitat, periculosis-

que

que symptomatis gravatam relinquit, ut leviore etiam postea morbo ingruente succumbat. At Medicina ista, de qua mihi sermo est, cognata scilicet spiritui nostro vitali ventriculum mole suâ non obruit, nec vomitum excitat, nec alvum irritat, nec alium violentum motum excitat, continuo cum morbi causis colluctari incipit, facile debellat, nihil de Naturæ viribus atterit, totum Spiritum in integrum restituit.

Diutius fortè hæremus in asserendo; dum, an tale medicamentum arte parari possit, & qua ratione, ac quomodo conficiatur, nondum probavimus. Antequam verò ad finem, quem bonum à principio per media intendimus, pervenire nobis liceat, ante omnia (quod talis arte confici possit Universalis Medicina) adducam paucula, quid

Chy-

Chymia sit? Qui ejus cultores, co-
rumque errores? Quam materiam
in opere elegerint? Quas tincturas
confecerint? Quæ menstrua adhi-
buerint? dum demum velociùs,
hísque præsuppositis stipatus fir-
miùs navim viciniori jam jam por-
tui admovebo; quo facto, tūm la-
boribus fessus, tūm à timore nau-
fragii habitō fermè exanimatus, in
littore Melosgnas cum Cosmopo-
litā à suavi aquarum murmure cor-
reptus, vires refocillaturus obdor-
miscam; ut reassumptis viribus fir-
miori pede ultro rursùs proficiisci
mihi liceat.



C A P U T I.

De

*Chymia, ejusque cultori-
bus, eorundem arcanis, men-
struis & erroribus in genere.*

SAcra ars Chymia ab Hermete inventa, à Gebro Indorum & Calid Arabiæ regibus exulta, à doctioribus veræ Chymiæ auctoribus in nostras usque terras delata tantam jam in ignominiam apud plerosque præsertim vulgus devenit, ut etiam ad ejusdem artis, ejus magistrorum & medicamentorum (et si verissimum sanissimumque præstarent ægrotis effectum) nomina abhorreant, & auditis his, totis quasi artibus contremiscentes, totam artem, propinata medicamenta, & il-

lorum

lorum artifices respuant, vilipendant, dehomestentque.

Et hoc fit, quia his saeculis jam
jam & vulgus, cives, sigillorum con-
fectores, vulgo Pettschiersiecher/
Aurisabri & illis similes, quibus in
operibus suis ignis & aura sacra fa-
mes mentes excitavit, foeminae, &
plures alii Philosophiam nequaquam
instructi, cursum Naturae non ob-
servantes, neque imitantes, huic
arti verissimae fere immiscent; imo
hi muli, putantes se Pegasum in Par-
nasso, suas extollendò tincturas, pul-
veres &c. aliorum in Scientia & arte
Medica virorum consumatorum re-
cipe, & confectas Medicinas vilipen-
dere, dehonestare, despovere sibi
præsumunt.

Attamen hi stolidi & ignari ne-
quaquam suum, nisi decipiendò, pal-
liandòque morbum, assequuntur fi-

nem, nec veram metallorum transmutationem (nisi Saphisticè dealbandô, rubefaciendôque sîne perseverantiâ in igne, & Capella, sîne proba per antimonium, & aquas regias & fortes institutâ) tum cum sui ipsorum periculo, tum cum aliorum, quos decipiunt, sumptuum dispensio experiuntur, quos Joannes 22. Papa ut falsarios & impostores jure optimo damnavit.

De his similibus comparationem faciens cum antiquis veræ Chymicæ Magistris Sendivogius in sui novi luminis Chymici tractatu i. ita loquitur : *nec etiam antecessores nostri, aliud quicquam considerarunt præter Naturam ipsam.* Et Natura possibilitatem : *Et quamvis illi in simplicitatù Naturæ viâ manserint, ea tamen invenerunt, quæ nos nunc in tot rebus versantes, vix nostris inge-*

nisi

niis potuissimus imaginari: hoc fit,
quia nobis Natura & generatio re-
rum in orbe jam vilis, simplexque vi-
detur: & ideo ingenia nostra non ad
res cognitas, sed ad talia, quae non,
vel vix fieri possunt, intendimus:
quapropter ita nobis succedit, facilius
excogitare res subtiles & quas ipsi
Philosophi nescirent, imaginari pos-
sumus, quam ad verum Naturæ cur-
sum & Philosophorum sensum per-
venire. Et alibi in eodem tractatu:
Si hodie revivisceret ipse Philosopho-
rum Pater Hermes, & subtilis inge-
nii Geber cum profundissimo Ray-
mundo Lullio, non pro Philosophis,
sed potius pro discipulis a nostris Chy-
mistis haberentur: nescirent tot hodie
usitatæ destillationes, tot circulatio-
nes, tot calcinationes, & tot alia in-
numera Artistarum opera, qua ex
illorum scriptis huius saeculi homines

invenerunt. Ex cogitârunt. Unum tantum nobis deest, ut id sciamus, quod ipsi fecerunt. Sc.

Hinc ex tantâ & diversâ Chymicorum, puta, impostorum copiâ factum est, ut veram de Chymia essentiam, definitionem &c. è tantiis labyrinthis librorum voluminibus eruere vix possimus. Quivis enim aliter, multi multa de hac sentiunt arte, varii varias de hâc ferunt opinions. Alii Chymiam putant artem, quâ scilicet metalla durâ, visceribus terræ effossa liqueare & fundere docemur. Alii Chymiam ab origine nominant, ut quidam volunt ægyptiacam. Alii artem salis fusoriam dictam putant.

Ast esto, placeat sua cuique artis acceptio; verisimilior illa nobis videtur, quâ subjectum quodvis etiam compactissimum recludimus, aperimus,

mus, resolvimus; latentem inibi universi Spiritum purissimum ab omnino elementorum labe & contagione separamus; atque in purissimum & homogeneum corpus coagmentamus, concentramus, coagulamus.

Hanc artem & Medicinam quam methodo assequamur, hic nondum, sed in fine dicere decrevimus. Inter etiam tamen verissimum dico, tot, tantosque circa methodum hujus artis & Medicinæ acquirendæ errores contingere, ut vix è millionibus unus reperiatur, qui ad veram hujus Medicinæ conficiendæ methodum perveniat. Plurimi enim vel in principio laboris circa solutionem ob veri menstrui defectum errant, vel in progressu circa separationem, aliquid heterogenii, contagii & labis spiritui è corpore corrupundo

egredienti in operatione relinquunt,
vel denique ita inquinatum in cor-
pus aliquod, qualecunque illud sit,
coagulant, & congregant.

De hujus artis difficultate Sebast.
Wirdig l. 2. cap. 12. §. 7. ita dislerit:
*investigatu difficillimum est arca-
num hoc, propter legitimę præpara-
tionis ignorantiam,* Ita etiam canit
Aurelius Augurelius Poëta Chymic⁹.

- - - - *Nec enim quam debes su-
mere, magnum*

*Invenisse adēd est, habilem sed
reddere massam*

*Hic opus, hic labor est, hic exer-
centur inanes*

*Artificum cur&, Senior: Nihil occulta verunt præ-
ter præparationem, at res non perfici-
tur, nisi cum præparatione*

*Turba: Regimen ejus majus est,
quam ratione comprehendi queat,
nec*

nec per venit ad artificem dura cer-
vicis.

Hanc artem, quo nomine compel-
lare velis, non labore; seu ex anti-
quorum Philosophorum placitō ar-
tem Spagiricam; artem Hermeti-
cam; artem perfecti Magisterii; ar-
tem segregatoriam, separatoriam,
destillatoriam, seu Philosophiæ, ut
multi ajunt, nomine insigne volu-
eris; Atque Medicinam hanc Lapi-
dem Philosophorum, tincturam
Physicam, Mercurium Philosopho-
rum, purum Naturæ, ignem Arte-
phii, menstruum universale, aut
quoquo tandem titulo honoraveris,
perinde feceris: illud certum est,
nostræ infelicitatis partem non esse
minimam, quod oculis hominum
subducta tam paucos sui numeret in-
vestigatores, pauciores adhuc, quo
ad ejus cognitionis possessionem fe-

lix industria, vera Philosophia, &
gratia Divina imisisset. Sed, ubi sit,
quæris: haud id mihi quidem con-
stat: sed ideo supremum Numen id
a vulgi notitiâ removit, ut nostra in
inquirendo industria acueretur, &
illud, quod habitô fors hoc DEI do-
nô per invidiam, persecutio[n]es, &
alia infinita mala nobis contingeret,
impediretur, præsertim in illis, qui
Harpocratis silentium minimè in usu
habent.

CAPUT II.

De

Criterio diversorum arte Chymicâ factorum Medicina- mentorum.

Quot capita, tot sententiæ de
Medicinâ hac ex hoc vel
illo

illo corpore eruentâ exstant. In hoc
tamen plurimi conveniunt, hanc
proximiùs, & copiosius in regno mi-
nerali haberí. Atque adeò hic in
vitriolo, ille in arsenico suam quæsi-
vit Medicinam, quam ubique Univer-
salem proclamat. Hic antimonium,
ille Corallia, alii argentum, alii au-
rum &c. pro conficiendâ, quam in-
tendunt universalem, Medicinâ ele-
gerunt. Benè est, nec ego quidquam
contrarii adducam ; cum enim hæc
Universalis Medicina (ut jamjam su-
prà diximus) ubique in omni specie
à Natura seu potius Naturæ authore
DEO inclusa sit, hinc etiam in regno
minerali præsentem esse lubenter ad-
mittimus ; imò laudamus eorum
opinionem, dum præ cæteris in con-
ficiendis arcanis suis minerale re-
gnūm eligunt. Quò enim corpus
quoddam compactius & firmius sibi

co-

cohæret, cō copiōsiūs de spiritu Uni-
versi, seu Universali Medicinā, (quæ
ita copiōsiūs corporibus mixtis in-
fita talem iisdem compactionem &
soliditatem largitur) in se continet;
quod ipsum, dum corpus minerale
ad corporis humani sanitatem arte
disponimus aptum, maximè intēndi-
mus, & desideramus.

Hinc ob solidissimam corporum
mineralium compagēm pro confi-
ciendis arcanis suis aurum præ cæ-
teris non ineptè eligunt Chymici, in-
que eo operantur. Jam verò aurum,
necque huic simile corpus compa-
ctum, pro sanando corpore humano
aptum esse potest, nisi ejus solidissi-
ma compages artificiō conveniente
solvatur, atque copiosissimè latens
inibi vitæ Spiritus in liquorem quen-
dam humoribus nostris circulanti-
bus fluiditate analogum, vel aliud
cor-

corpus e. g. sub forma pulveris, fa-
cilius tamen cum fluidis nostri cor-
poris partibus se se commiscens re-
ducatur; secundum illud:

*Omnis enim qui corporeo stat car-
cere clausus
Spiritus, & membris terrenis con-
sociatur,
Est miser haud dubie, donec solva-
tur ab illâ
Compede, & athereas redeat, jam
liber, in auras.*

Unde Archelaus Philosophus ait:
aurum in liquorem redactum, & as-
sumptum esse vitæ humanæ thesa-
rum sanantem infirmitates & mor-
bos hominum si de suo liquore aliquid
sumatur. Hujus sententiam Aure-
lius Augurellus libr. 2. chrysol. con-
firmat his versibus:

*Ut purum atque omni purgatum
sorde metallum.*

Acci-

*Accipias, cuius secretā in parte
recessit
Spiritus, & crassā pressus sub
mole latenter
Vicitat, ac solvi vincis ac car-
ceris
Emitti expectat, tenues effusus in
auras.*

Et aliis anonomus in theatri Chy-
mici volumine tertio suum addit,
complementum :

*Solvere qui nescit, vel subtiliare
metallum
Corpus non tangat, mercurium-
que finat;
Nam corpus nequit Spiritum re-
tinere volantem,
Si non alterutrum facere bene
nōris.*

Jam verò ut Spiritum hunc in auro
compactissimo illo metallo ligatum
à vinculis liberarent, per multa va-
rios,

rios, alienos liquores, humores corrosivos (quos menstrua appellant) in usum, ut finem obtineant suum, vocarunt, veram effecturi auri Medicinam.

Solvunt hæc quidem menstrua ad visum compagem auri in minimas partes, sed in radicem usque non pertingunt. Et si etiam tinturam quandam tam in pulcherrimo, hominum oculos arridente, colore, quam in sapore atque odore gratissimo, fors ex alieni cujusdam corporis additione oriundo confecerint, non tamen hæc auri tintura in roborandis Naturæ viribus, nisi paucissimo ipsorum additorum Spiritu, multum præstabit. Nam aurum hoc ab illis per sua menstrua ita solutum, & paratum, si ignem experatur fortè, rursùs in formam suam pristinam redit; quod signum est, illo.

illorum operationem contra omnem, veram auri tincturam exstruentium mentem processisse. Hi enim veri artifices maxime in menstruo requirunt, ut illud nempe solvens ejusdem sit Naturæ cum solvendo corpore auri, & post ipsam solutionem cum corpore soluto maneat, atque etiam, si igne fortissimo examinetur, non amplius a soluto separari possit; cuius rei labor inanis factus cognoscitur, si aurum soldatum in praedicto igne examinatum rursus in formam suam redeat attremit, ut prius fuerat, recedente illo, quod per perpetui menstruum putatur.

Quod jam illorum menstrua non sint apta in radicem usque auri penetrare, idque solvere, est ratio, quia horum liquores solventes semper aquae paucissimo universi Spiritu referti sunt, qui alias purissimus in tem-

temperato clementorum corpore
concentratus, verum & unicum,
universale pro radicitus solvendo
auro & exinde parandâ Medicinâ
Universali idoneum, reliquis omni-
bus exclusis, est menstruum non ma-
defaciens manus.

Joannes Tackius de essentia vini
scribens, illos, qui veram in vulgari
Spiritu vini auri solutionem spe-
ctant, reprehendit dicens: *Et pro*
certò inter Spiritus Vini & Spiritus
auri est maxima convenientia seu
participatio cum utrobique sint Na-
tura calida; igitur *Spiritus vini in-*
separabiliter figuntur cum auro &c.
tu vero, si cautus esse cupis disce
prius vinum Philosopherum agnosce-
re, necque metallorum destructio fieri
potest Spiritu vini vulgari, quia in-
flammabile vix destruere potest id,
quod est non inflammabile, nisi altere-

L

tur

tur in Naturam sublimiorem. Unde
hujus Authoris ratione instructi ob-
eandem rationem omnia ea men-
strua rejicimus, quæ aquæ & hinc
facile per ignem removenda sunt.

Unicum nobis sit menstruum è
Naturæ gremio erendum, quo ge-
nuinam ex auro Medicinam nostram
Universalem confidere intendimus;
cujus menstrui convenienti artificiō
facti signa, & proprietates Sendivo-
gius in ænigmate suo Philosophico
ita describit: *Et hoc vobis dico, quod*
opus est, rem querere aliquam, quæ
occulta est, ex qua fit (miro modo)
talis humiditas, quæ aurum sine vio-
lentia seu strepitu dissolvit, imo ita
suaviter & naturaliter, sicuti glacies
aqua calida beneficiō liquefit.

Hoc menstruum certè ille est ignis
Artephii, de cuius proprietatibus
ille ipse ad Clitophontem differen-

tias hujus & ignis vulgaris exponens
itâ scribit : primò ignis communis
nihil operatur , nisi aëre gaudeat :
contra noster ignis nihil operatur , nisi
in vase suo optime clausus . Dein
vulgaris ignis calidus est & siccus :
noster verò in siccitate & caliditate
suâ etiam humiditatem habet , quæ
instar roris , in terram decidentis , se
habet ; Denique vulgaris ignis omnia
terra nascentia & crescentia devo-
rat , quia & in aqua tepida & sim-
plicissima ova parvo intervallo co-
quuntur : noster verò eâ gaudet fa-
cultate , ut humiditate suâ id quoque
nutriat , & multiplicet , quod suæ ope-
rationi subjectum est . Hinc Tackius
de auri solutione ita sentit : De cæ-
tero , nec aurum , nec argentum radi-
citus dissolvi posse , nisi igne sopho-
rum .

Sed quid inhæreo afferendō, cum,
an tale menstruum arte fieri possit?
nondūm probaverim, multo minus
experienciā demonstraverim. De
experienciā taceo, cum ea nonnisi in
arte & scientiā hāc consumatissimis
viris, sollicitā mente constantique
animo quærentibus, piā ergā Deum
fide aspirantibus, atque denique il-
lis, cui specialissima à Deo gratia lar-
gitur, in meritorum præmium, in
paupertatis fugam, proximi salu-
tem, sanitatemque recuperandam,
finis sit atque corona; quos, dum
nondum tales artifices fors videris,
nequaquam nega illos in terrarum
orbe existere; malunt enim cum
Cosmopolitā & Diogene sub dolio
delitescere, & Harpocratis contenti
vivere silentiō, quam incertorum
præmiorum loco, nonnisi invidiam
& fors vitæ pericula ab ingrato hoc
seculo spectare.

In-

Interea tamen, cum plurimi de
illius Medicinæ & menstrui Univer-
salis existentiâ & operatione (quam
omnes variant) varias ferant sen-
tentias meam quoque, quæ adhuc
in minerâ, idest, theoriâ, à Naturæ ta-
men operationum confuetudine
erutâ residet, meam inquam opinio-
nem hic adferre mihi liceat præ cæ-
teris illis, qui nec Medicis nec Philo-
sophicis instructi sunt funda-
mentis.



CAPUT III.

Et

ULTIMUM.

Probat ex Corporibus
mixtis Spiritum Universi
(quem Universalem jam jam nomi-
navimus Medicinam, & menstruum
universale pro radicibus solvendo
auro,) extrahi posse purissi-
mum.

Nihil magis adepti hujus artis
magistri, quam opus sopho-
rum nobis occultavere, ut insipien-
tes, indignosque meritó ab arte ex-
cludant. Interea tamen sub variis
parabolis, ænigmatibus, succinctis-
que sermonibus hoc Philosophorum
opus tradiderunt, ut sapientioribus,
in doctrina profundioribus, & di-
gnio-

gnioribus ab ipso Numinis maximo
electis viam monstrant, quā sit eundum,
ut longissimi studii sui, anxxii
laboris & infinitorum fermè expe-
rimentorum infinitiēs felicem, ex-
optatūmque assequantur finem. Ex
his tamen, alii clariūs, alii obscurius-
rem declarārunt.

Sed, missis quām plurimis talium
scriptorum doctrinis claris vel ob-
scuriſ, una tantūm sit nobis doctrina
ā Basilio Valentino & Sendivogio
petita & monstrata, quorum primus
in anacephalæosi de magno antiquo-
rum lapide non obscuram nobis re-
liquit operationis viam, dum ita ait:
da eis rectificirtes aqua vitæ oder
Brandwein angezündet wird mit
einer Flamme / so scheidet sich der
Mercurius und sulphur vegetabilis
voneinander / der Schwefel bren-
net gar hitzig/ dan es ist ein lauter

Feuer/ so fliegt der zarte Mercurius
in die Luft/ und gehet wiederum in
sein Chaos. Wer aber der feuri-
gen Geist beschliessen und gesangen
nehmen kan/ der mag sich rühmen
er hab ein Ritterstück in den Chy-
mischen Feld - Schlacht erhalten/
und ein Victoriam und Triumph
vieler Wissenschaften erstritten.

Secundus vero in epilogo suorum
i 2. tractatum totum negotium his
paucis expressit verbis: *Et qui opta-
tum desiderat finem, sciat conversio-
nem elementorum. O levia facere
ponderosa. O Spiritus facere non
Spiritus, tunc non laborabit in reex-
tranea.*

Quomodo autem id fiat, nclarius
nullus illorum nos docuit. De Ma-
teria enim secunda, ex qua prima
copiosius & proximiūs haberi & ex-
trahi possit, vel omnino tacent, vel
illam

illam à longè in tenebris nobis monstrant. Secundo de vase Sendivogius paucula ita differit : *Vas item Natura unicum, sed nos propter abbreviationem binis utimur. & alibi in epilogo : Vas ut supra dictum unicum est à principio iisque ad finem, vel ad summum duo sufficiunt vasa.* 3. De igne quidem dicunt, sed ejus regimen occultant. 4. denique de tempore totius operis finiendi multa pariter dicunt : de quo Sendivogius mentionem facit in suo ænigmate Philosophico, dum aquæ seu menstrui Universalis virtutem in somno sibi Saturnum manifestasse dicit ; ita enim Saturnus : *Aqua habet intrinsecum ignem & si juvatur calore continuo comburit tres partes corporis sui cum hoc corpore fructus, & non remanebit nisi pars minutissima, qua vix imaginari potest, sed in*

L 5 Jum-

summâ virtute coquitur sagaci inge-
nio magistri septem mensibus primô,
postea decem: Author artificii su-
pernaturalis in theatri chymici vo-
lumine primô ait: nam compositio
lapidis majoris durat annos duos illis,
qui nunquam antea composuerunt:
verum expertis per annum conti-
nuum cum tribus mensibus, nonnulli
rami sunt artis in amplitudine, qui
mensibus quatuor aut sex absolvun-
tur.

Alii totum opus tribus mensibus,
alii tribus diebus alii trihorio ad fi-
nem perduci scribunt.

His omnibus præmissis jam jam
opinionem meam de confiendo
hoc menstruo Universalis seu extra-
etione Spiritus universi purissimi ad-
ducam.

Scis i. Lector benevole, corpus
unum magis in se de Spiritu hoc con-
tinere

tinere quām aliud. 2. Scis etiam
unum corpus in calore & humidi-
tate recedente Spiritu (quod ipsum
in vulgari vini destillatione, dum
ejus Spiritus suavissimè priùs in vi-
no olens, remanente dein corpore
fœtido recessit, apparet) citius cor-
rumpi, quām aliud corpus siccum,
compactum, & in frigore existens.

3. Scis quod in naturali corruptione
Spiritus ille ascendendo è corpore,
quod corrumpitur, in chaos suum
revertatur. 4. Denique (scias ve-
lim, certum esse) quò altius ille Spi-
ritus in corruptione ascendit, eo
purior semper evadit: ille enim,
dum in inferiori primò præterit
loco, multos adhuc comitantes ele-
mentorum socios in viâ habet, qui
ob ulterius iter faciendum, illis non
conveniens, propriâ gravitate deci-
dunt, & frigore arrepti in terram

rur-

rursus coguntur. Interim Spiritus
ille ultrò sub peregrini cuiusdam
nomine per longam aëris provin-
ciam solus peragrat, donec suam in
patriâ mansionem nanciscatur, vel
rursùs astrorum influentium volun-
tate vel in cædem, è quâ redierat,
vel aliam provinciam aliâ sub for-
mâ proficiisci jubeatur, ut semina
plantarum velut mortuum quid vi-
vificet, animalibus verò & minera-
libus augmentum concedat uberior,
& vitam.

Quisquis igitur veram hujus ar-
cani operationem intendit, facilio-
rem id acquirendi viam non habe-
bit, nisi eam, quam ipsa Natura in
corruptione rerum nobis ostendit.
Accipe jam Materiam quandam,
quam vis & scis 1. plus Spiritus
ætherei in se habere 2. talem quæ
in humido proprio & calore exter-
no

no adveniente facile corruptibilis
est. Impone vasi tuo, in quo cor-
pus illud à calore artificiali putre-
scat, ex quo Spiritus sponte sua in
altum egreditur. Et ubi amissis
propriâ gravitate & frigore exter-
no in fundum rursus præcipitatis
elementorum locis purus atque so-
lus in altiori aëris provincia, quæ
quoque in vasi tuo sit similis, pera-
graverit, vide, ut eum in altâ illâ
provincia in arctissimum spatum
solum cogas, atque, dum ultrò pro-
gredi amplius non potest, vulcani
vinculis figas, vincas, capias.
Quidquid enim ait Sendivogius in
Iuri Novi Iuminis Chymici tractatu-
11. operatur dversum, locorum
distantia efficit. & alibi in eodem
tractatu: actus enim & effectus
ejus per distantiam locorum depre-
henduntur.

Hæc

Hæc paucula de Medicina Uni-
versali à me dixisse sufficiat, atque
demonstrasse, quā ratione Univer-
salis hæc ubique Medicina occulta
fieri possit manifesta. Qui vero in
eruendo hoc Philosophorum arca-
nō maximō studies ultrā progredi,
& manus & pedes operi admoveſ,
non ex me amplius ſcies, cum jam
jam itinere fessus in viā quiescere
cogar; ſed ex aliis, qui tibi in via
tui ſtudii, & anxii laboris obviant,
quæras, diſcas, cognoscas, ut ve-
ram ad arcem captiysi Regis inve-
niās clavim, quā Regem ē vinculis
liberes, magna dein ab eo munera
ſpectaturus.

Et ſic finaliter anhelans ad mun-
di melioris felicitatem concludo
cum Prudentio:

Veniant


Veniant modò sacula justa,
Cùm spem Deus impleat, atque
Reddat sua munera fector,
propriique anigmata vultus.


SOLI DEO GLORIA.



num h[ab]et excludere possunt illi
obulendo maiestatis exercitum ib[us]
quicquid' anno

Digitized by Google





160

